This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 3433 02267835 7

Plato
1880
Y1 E9
Text

PLATONIS OPERA GRAECE

RECENSVIT ET ADNOTATIONE CRITICA INSTRVXIT

CAR. ERN. CHRISTOPH. SCHNEIDER

LITT. ANT. PROF. VRATISL.

VOLUMEN TERTIUM

CIVITATIS LIB. VIII. VIIII. X.

ET INDICEM ADNOTATIONIS AD OMNES CONTINENS

ASTOR LIBRARY NEW-YORK.

LIPSIAE

SVMPTIBVS B. G. TEVBNERI ET F. CLAVDII

MDCCCXXXIII.

Y A E

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

PRAEFATIO EDITORIS.

Quemadmodum in primi voluminis praefatione de rebus quibusdam ambitu maioribus, quam quae annotationi commode insererentur, verba nobis facere licuit, ita huius proocmium incipere ab rei amplioris tractatione licebit cum critica, quam profitemur, et cum iudicio de loci, quo continetur, scriptura sane coniunctae, numeri illius dico, quem initio L. VIII. Plato significavit. De quo quum ante nos multi sententiam tulerunt, tum nos ipsi a. MDCCCXXI. *commentationes duas, quarum prior novam eius explicationem continet, posterior aliorum de eo opiniones recenset*, Vratislaviae edidimus, nec postea defuerunt qui denuo operam eadem in re illustranda collocarent. Primus inter hos exstitit Friesius, philosophus Ienensis, qui a. MDCCCXXIII. Heidelbergae libellum vernacula scriptum publicavit: Platons Zahl, de Republica l. 8. p. 546. Steph. Ein Vermuthung von Jakob Friedrich Fries. (4. fol. 14.) Secundus Schleiermacherus, in annotatione ad interpretationem Civitatis vernaculam Berolini a. MDCCCXXVIII. editam, p. 569—596. Tertius Christophilus Iulius Brasis, a quo edita est Vratislaviae *de numero Platonis disputatio*, quam ibidem philosophorum ordinis auctoritate pro loco professoris extraordinarii rite capessendo

d. XIII. Sept. MDCCCXXX. defendebat. (8. min. fol. 24.) Eorum omnium non magis, quam superiorum quisquam alteri penitus assensus est, immo plures, quam capita, sensus apparuere, quum plerique ne sibi ipsis quidem per omnia satisfecissent. In quibus nos quoque et antea fuisse confitemur et nunc etiam in extremis nonnihil haesitabamus, sed propius a vero, quam antea, abesse nobis visi, aliorum vero errores perspectos habere existimantes, simul lectori omnia considerandi et diiudicandi potestatem facturi primum commentationes nostras, quia venales esse desierunt, repetere, deinde recentiorum placita breviter exponere et examinare, denique eam, in qua acquievimus, interpretationem exhibere statuimus.

COMMENTATIO PRIOR.

De numero Platonis scripturus non vereor, ne arrogantiae crimen subeam, quod tantam rem aggrediar, quae magnitudine sua etiam in proverbium abierit, ut antiquitus qui obscurissimum significare vellent, numero Platonis obscurius esse dicerent, quemadmodum Cicero in quadam ad Atticum epistola loquitur. Nam Graecis quidem tantum abest ut inaccessus fuerit, ut ne difficilem quidem admodum aut obscurum habuisse videantur, quum neminem eorum, qui mentionem charactericam, ea de re conqueri, plerosque autem ut de comperto exploratoque loqui videamus. Inter Romanos vero Ciceronem constat primum Platonis scripta et placita divulgasse, cui obscurum fuisse non est mirum, quum multa Platonis male intelligerat, quae hodie recte explicata habemus. Huius tamen viri auctoritas tanta fuit, ut verbum illud, quod commemoravimus, ad famam obscuritatis numeri plurimum vel potius nihil non contulisse videatur. Nec magis Procli vox in *Commentariis super primo Euclidis* (libro primo, pag. 7. ed. *Basil.*) ad numerum Platonicum explicandum universa opus esse mathematica pronuntiantis deterrebat non tali tantaque supellectile instructum, quum facile appareret non universae eam mathematicae scientiam requirere, sed ex omnibus matheseos disciplinis aliquid conferendum censere ad declarandam Platonis sententiam. Accedebat quod difficultatibus iis, quae in rebus inessent, industria virorum duorum mathe-

matice doctorum multo supra hanc memoriam remotis adituque ab ea parte munito reliquae ita comparatae videbantur, ut accuratiore verborum interpretatione, quorum isti incuriosiores fuissent, superari possent, idque eo felicius, quo certius hodie de textu Platonis constaret.

Consilium autem huius scriptionis non hoc est, ut omnium, qui de eodem numero scripsere, opiniones recenseantur, neque hoc, ut ostendantur et declarentur omnia, quae numero Platonis vel fundamenti instar substrata sint theoremata vel instrui posse videantur: utrumque enim longum esset: sed unius maxime memorabilis interpretis sententia explorata nostram de significatione verborum ac de sensu totius loci opinionem quam fieri poterit brevissime exponemus eandemque Aristotelis et aliorum veterum, quorum aetate nondum exstinctus esset veri sensus, fuisse demonstrabimus, cetera mathematicorum, inprimis astronomorum, iudicio relicturi.

Initio igitur libri *Civitatis Platonicae* octavi Socrates expressa optimae rei publicae optimique hominis forma ad deteriores conversus primum indagandum esse censet, qui fieri possit, ut illa respublica praestantissima immutetur. Id nisi dissentiant inter se magistratus accidere posse negans qua ex re ea dissensio oriatur, Musas secundum Homerum ut sibi dicant advocat. Vocatae veniunt et tragice velut apud pueros ludibundae et cavillantes serio se dicere simulantes magnifice hunc fere in modum loquuntur:

Difficilis quidem commotio rei publicae sic constitutae. Sed quum ortum omne intereat, ne talis quidem constitutio cuncto persistet tempore, sed solvetur. Solutio autem haec est. Non solum plantis terrae insitis, verum etiam in terra versantibus animalibus fertilitas et sterilitas animi corporumque accidit, quando conversiones singulis orbium circuitus coniungunt breve victuris breves, contrariis contrarios. Generis autem vestri fecunditatem et sterilitatem quamvis sapientes sint quos ad regendam rem publicam instituistis nihilo magis ratione cum sensu assequentur, sed fugiet eos et generabunt liberos quandoque, cum non debebunt. *ἔστι δὲ θείῳ μὲν γέννητῳ περίοδος ἣν ἀριθμὸς περιλαμβάνει τέλειος, ἀνθρωπείῳ δὲ ἐν ᾧ πρώτῳ αὐξήσεις δυνάμεναί τε καὶ δυναστευόμεναι τρεῖς ἀποστάσεις τέτταρας δὲ ὅρους λαβοῦσαι ὁμοιούντων τε καὶ ἀνομοιούντων καὶ αὐξόντων καὶ φθινόντων πάντα προσήγορα καὶ ῥητὰ πρὸς ἄλληλα ἀπέφηναν· ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγεὶς δύο ἁρμονίας παρέχεται τρὶς αὐξηθεὶς, τὴν μὲν ἴσην ἰσάκις ἑκατὸν τεσσαυτάκις, τὴν δὲ ἰσομήκη μὲν, τῇ προμήκει δὲ, ἑκατὸν μὲν ἀριθμῶν ἀπὸ διαμέτρων ῥητῶν πεμπάδος δεομένων ἑνὸς ἑκάστων, ἀῤῥήτων δὲ δυεῖν, ἑκατὸν δὲ κύβων τριάδος. ξύμπας δὲ οὗτος ἀριθμὸς γεωμετρικὸς τοιούτου κύριος, ἀμεινόνων τε καὶ χειρόνων γενέσεων· ἃς ὅταν ἀγνοήσαντες ὑμῖν οἱ φύλακες συνοικίζωσι νύμφας νυμφίοις παρὰ καιρὸν, οὐκ εὐφυεῖς οὐδ' εὐτυχεῖς παῖδες ἔσονται.* (p. 546. Steph.)

Non facile quemquam inventum iri putamus, quin tenebras sibi hunc locum inspicienti primum offundi sentiat. Quibus pellendis qui inter ipsos Graecos Platonis asseclae operam dederunt, non multum ex eorum studio ad nos commodi redundavit, declarationibus illis aut pridem ex memoria hominum exstinctis aut non minore, quam quibus dilucidandis inservirent, obscuritate laborantibus aut alio, quam quo opus erat, intentis. Neque Italorum, qui seculo a Christo nato XV. Platoni dediti in eiusque scriptis legendis et interpretandis defixi erant Florentiae, quemquam credibile est huius loci interpretem exstitisse, postquam dux ac princeps eorum, Marsilius Ficinus, plus eum difficultatis, quam ponderis habere et Apolline interprete egere iudicasset; ipse vero quod promiserat in Commentario super Timaeo de eo verba facturum non praestitit. At seculo XVI. duo reperti sunt viri docti, quorum opera partibus nonnullis lux affulserit, prior Iacobus Faber Stapulensis, in *Commentario super Aristotelis Politicorum quinto* ab ipso Aristotele occasione data Platonis numerum explicare conatus, alter Franciscus Barocius Venetus, singularis de eodem numero libelli auctor, in quo quum aliorum, inprimis Fabri, tum suam sententiam, non admodum illam a Fabro discrepantem, copiosissime exposuit. Nec postea defuerunt qui expediendo numero operam darent, sed nemo probabiliora invenit, quam Barocius. Itaque cum Barocio nobis res sit. Qui vir quum vulgo non satis notus sit, antequam quid senserit de loco Platonis afferam, quis fuerit breviter significabo. Fuit natione Venetus, gente patricia ortus, litteris a pueritia deditus. In philosophia Marcum Antonium Passerinum, in mathematica Petrum Catenam Patavii praeceptores habuit. Post annum MDL. in gymnasio Patavino, deinde in Bononiensi professor matheseos fuit, postea urbis Iadrae in Dalmatia praefectus, cui muniendae studiosius, quam corpus affectum pateretur, intentum aetate nondum provecta mortuum scribit Boletius anno MDLXXII. Contra ex ipsius scriptis effici nuciet est Popelinus ad aetatem decrepitam usque litteris cum studiisque summis cum industria, itinera per Europae Asiaeque regiones fecisse, litterarum commercium habuisse cum doctissimis Transalpinorum et miros fortunae casus subiisse. Firmat haec et explicat Mazzuchellius, magicae artis condemnatum anno MDLXXXVII. pecunia et vinculis multatum testans. Caeterum diu vixisse Cretae ibique aliquando, quum maxima siccitas esset, ingentem vim pluviae de coelo deduxisse. Reliquit magnam codicum manu scriptorum copiam, quos ab eius nepote eodemque herede Iacobo emtos Angius Comes Pembrocinus bibliothecae Oxoniensi donavit anno MDCXXVIIII. qui adhuc Barociani nominantur. Ipse edidit *Orationes* in laudem mathematicae et philosophiae, Procli *Commentaria in librum primum Euclidis* Latine vertit ex codicibus multo integrioribus et emendatioribus textu vulgato, item Heronis *Librum de machinis bellicis et geodaesiam* e codice transtulit scholiisque illustravit, de *Cosmographia* libros IIII. vulgavit. Sed maxime delectabatur nodis solvendis eiusque amoris tria

monumenta reliquit: *Problema de duabus lineis in eodem plano designandis, quae nunquam coeunt in idem, licet producantur in infinitum et quanto protrahantur longius tanto sibi evadunt propiores, tredecim modis demonstratum; Explicationem Rhythmomachiae Pythagoreae* Italice scriptam, et eum, quem nos examinandum suscepimus, libellum de numero Platonis. Cuius libelli inter Italos soli Mazzuchello commemorati et ne huic quidem conspecti inter nostrates memoriam instauravit Boeckhius, vir doctissimus, in *Studiis Heidelbergensibus* T. III. p. 44. quo loco plerosque eorum, qui de eadem re scripsere, nominavit. Titulus hic est: FRANCISCI BAROCII JACOBI FILII PATRITII VENETI COMMENTARIVS IN LOCVM PLATONIS OBSCVRISSIMVM *et hactenus à nemine rectè expositum in principio Dialogi octavi de Rep. ubi verba habitur de numero Geometrico, de quo proverbium est, quòd numero Platonis nihil obscurius. Ad Illustrissimum, et Reverendissimum* GABRIELEM PALAEOTVM *Cardinalem amplissimum, et optimum. Cum licentia R. D. Vicarii Episcopalis, ac R. P. Inquisitoris.* BONONIAE, *Typis Alexandri Benacii.* MDLXVI. (4. min. fol. 34.) Quid autem propositum habuerit Barocius et quo ratione usus sit, ipse in prooemio declaravit his verbis:

„Propositum meum est eum Platonis in octavo de Rep. locum exponere, qui cùm omnium, quae sub humanam cognitionem cadere possunt, obscurissimus sit: hactenus à nemine (quod pace omnium dicam) non modò non rectè declaratus, sed nequidem perceptus est: imò tritum inde proverbium apud *Antiquos* ortum fuit, quod nempe numeris Platonicis *nihil obscurius*. Nam spero studiosis omnibus gratissimum fore tam obscuri loci veram, lucidissimam, ac iam pridem à nobis ope divina repertam expositionem perlegere. In hac itaque re pertractanda hoc ordine mihi procedendum est. Primo quidem autores omnes, qui de hoc loco Platonis aliquid dixerunt, in medium afferam, eorumque testimoniis rei difficultatem ostendam: Secundò quid etiam mihi de hac difficultate videatur, adiiciam: Tertiò quaedam ad intelligentiam rei spectantia declarabo: Quartò ad ipsius loci dilucidationem, expositionemque me conferam, in quo quidem dilucidando, exponendòque talem etiam ordinem servabo. Primo quorundam obscurorum Platonis verborum significationes aperiam: Secundò Platonis sententiam verbis ipsis applicabo: Tertiò quomodo locum hunc alii declararint, et quae ab eis rectè, atque melè dicta, quaéque penitus praetermissa sint ostendam: Quartò et ultimo locum alium Platonis in nono de Rep. satis etiam obscurum, et ab interpretibus non rectè declaratum, illustrabo; cuius loci intelligentia ex his, quae in octavo de Rep. dicuntur, tanquam corollarium dependet.“

Atque haec lucido ordine, ut mathematicum decebat, sed verbosius paullo, quam necesse erat, deinceps pertractavit. Ex quibus ea, quae quartae partis primum obtinent locum, quum ad nostrum consilium maxime pertineant, integra hic apponemus, ex reliquis,

quae opus erunt, excerpemus. Postquam igitur verborum a Musis pronuntiatorum partem primam, cuius nos supra sententiam tantum reddidimus, verbis Graecis omissis, quoniam ea in disputationem nunc nolumus vocare, deinde illa de numero perfecto, a quibus et ipsis abstinendum nobis putavimus, ut potuit, explicavit, hoc modo pergit:

„*Humanae vero geniturae is utique in quo primo augumentationes superantes, et superatae tres distantias, atque quatuor terminos cùm acceperint similantium, et dissimilantium, et crescentium, et decrescentium, cuncta correspondentia, et effabilia invicem effecerunt.*" In his verbis quinque particulae nobis declarandae sunt. Prima „*augumentationes superantes, et superatae*" Secunda „*tres distantias, et quatuor terminos*" Tertia „*similantium, et dissimilantium*" Quarta „*crescentium, et decrescentium*" Quinta „*correspondentia, et effabilia.*" Augumentationes itaque superantes apud Platonem sunt Rationes maioris inaequalitatis, videlicet Multiplices, Superparticulares, Superpartientes, Multiplices superparticulares, et Multiplices superpartientes. Augumentationes verò superatae sunt apud eum Rationes minoris inaequalitatis, utputa Submultiplices, Subsuperparticulares, Subsuperpartientes, quaeque ex his tribus componuntur: quas quidem omnes Rationes in superioribus declaravimus. Distantias quidem appellat Plato rationum intervalla; terminos autem, quantitates, inter quas intervalla ipsa cadunt. Et est adnotandum quod distantiae semper à terminis unitate superantur, nempe si termini quatuor fuerint, distantiae tres erunt; quòd si termini tres, distantiae duae: si denique duo termini, unica inter eos erit distantia, pauciores autem duobus terminis esse non possunt, quandoquidem (ut in praecedentibus diximus) Ratio est duarum eiusdem generis quantitatum mutua quaedam habitudo. Quod verò de terminis, atque distantiis diximus, tale quidem est, sint exempli gratia termini quatuor continuè proportionales, ut viginti septem, decem et octo, duodecim, octo, inter hosce igitur quatuor terminos tres cadunt Sesquialterae, tresque Subsesquialterae distantiae, si tanquam superantes, et tanquam superatae considerantur, una quidem à viginti septem ad decem et octo, altera autem à decem et octo ad duodecim, tertia vero à duodecim ad octo, omnes utique Sesquialterae: similiter una quidem ab octo ad duodecim, altera autem à duodecim ad decem et octo, tertia verò à decem et octo ad viginti septem omnes porrò Subsesquialterae. Praeterea similantes, et dissimilantes Plato vocat eos numeros, qui ab Arithmeticis Similes, et dissimiles appellantur: crescentes autem ac decrescentes eos, quos illi Abundantes, et Diminutos, seu Plusquamperfectos et Imperfectos nuncupant; hasce autem omnes numerorum species in superioribus declaravimus. Correspondentia invicem, et effabilia vocat Plato terminos, qui sibi invicem Ratione correspondent, quique numeris, vel integris, vel fractis possunt exprimi, cuiusmodi sunt quatuor termini, quos paulo ante continue proportionales in Sesquialteris, et Subsesquialteris Rationibus esse diximus. illi nanque tum

Ratione sibi invicem correspondentes, tum etiam Effabiles sunt. Effabiles enim quantitates illae sunt, quae numeris, vel integris, vel fractis quantae sint exprimi possunt, quas Graeci ῥητὰς, hoc est Dicibiles, maior verò pars latinorum Mathematicorum improprie nomine Rationales appellant. Similiter autem Ineffabiles quantitates eae sunt, quae nec integris, neque fractis exprimi possunt numeris, quas graeci quidem ἄρρητας καὶ ἄλογας (sic) hoc est Ineffabiles, et Indicibiles ἀπὸ τοῦ εἰρῆσθαι, καὶ ἀπὸ τοῦ λέγεσθαι, id est à fari, et dici. latini verò ferè omnes Mathematici impropriè Surdas, et Irrationales nuncupant; credentes nimirum, quod ἄλογας eas graeci vocarint à privatione τοῦ λόγου, hoc est Rationis, quasi nullam tales quantitates inter se Rationem haberent, quod tamen falsissimum est: quippe cùm omnes eiusdem generis quantitates, sive dici possint, sive non, Rationem aliquam habeant invicem comparatae; quae quidem si fuerint Effabiles, Ratio quoque ipsarum erit Effabilis; si vero Ineffabiles fuerint, earum Ratio quandoque Effabilis, quandoque Ineffabilis erit; quam quidem Rationem Ineffabilem Graeci quidem λόγον ἄλογον, id est Rationem Indicibilem; ipsi verò latini Rationem Irrationalem appellant. Hoc autem idem est ac si dicerent Rationem absque Ratione, quo nihil absurdius. „*Quorum sesquitertia radix quinario coniugata duas harmonias praebet ter aucta.*" Hic quoque duo declaranda sunt, primum quaenam sit Sesquitertia radix; secundum quae sint duae harmoniae, quas ipsa Sesquitertia radix quinario coniugata praebet ter aucta. Quoad primum itaque sciendum est, quod ubi Sesquitertia radix latinè legitur, textus graecus (ut iam vidimus) habet ἐπίτριτος πυθμήν, quae verba alii vertunt Sesquitertia radix, ut Marsilius; alii Sesquitertia propago referente Fabro, alii Sesquitertium fundum, ut Thermacides Pythagoreus; aliique demum Sesquitertius Cubus, ut Leonardus Aretinus, ipsa nanque dictio graeca πυθμὴν quatuor haec significat, nempe radicem, propaginem, fundum, atque solidum. ἐπίτριτον πυθμένα autem intelligit hic Plato septenarium numerum. Quare qui ἐπίτριτον πυθμένα Sesquitertiam radicem vertunt id accommodatè facere videntur, quippe cùm septenarius numerus primus quidem limites, terminos, atque radices ipsius Sesquitertiae Rationis complectatur, quandoquidem ex ternario, quaternarióque septenarius constat, quippe qui sunt limites, termini, et radices Sesquitertiae Rationis, cum ipsi sint primi, atque minimi numeri Sesquitertiam Rationem habentes. Qui verò Sesquitertiam propaginem interpretantur, non immeritò id faciunt, nam propago quidem nihil aliud est, nisi vitis quaedam vetula, et suppressa, ut ex ea plures fiant à pangendo dicta, quia porrò pangatur: septenarius verò similiter quaternarii, et ternarii propago quaedam est, in quibus primum Sesquitertia Ratio consistit, quemadmodum etiam quinarius ex binario, ternarióque constans ipsorum binarii ac ternarii propago est, in quibus Ratio Sesquialtera primum reperitur. Qui autem Sesquitertium fundum convertunt, convenienter hoc agunt. Pythagoreo-

rum enim mos est (quos imitatur Plato) minimos in aliqua Ratione numeros fines, et fundum appellare; fines quidem, ut extremitates, ac terminos quoad minus illius Rationis; fundum verò, quoniam ut vas super fundum, sic omnes numeri Rationis eiusdem super illos minimos adiunguntur. septenarius autem minimos numeros Sesquitertiae Rationis continet ut fines eius Rationis, et fundum omnium numerorum, qui eandem Sesquitertiam Rationem habent. Quare non immeritò septenarius numerus Sesquitertium fundum vocabitur. Qui demum ἐπίτριτον πυθμένα Sesquitertium Cubum, nempe numerum Solidum hoc loco istinè reddunt, falsam traiationem efficiunt, quippe cùm ἐπίτριτον πυθμένα Plato septenarium hic intelligat, septenarius autem nullo modo Solidus numerus esse possit. Solidus enim numerus (ut in superioribus declaravimus) producitur ex mutua trium numerorum multiplicatione, quod septenario minimè competit. Quamvis igitur (ut iam diximus) πυθμὴν quandoque radicem, quandoque propaginem, quandoque fundum, quandoque solidum significet, in praesentia tamen tum radicem, tum propaginem, tum etiam fundum significare potest: Solidum vero numerum nequaquam, ut Leonardus voluisse videtur, qui πυθμὴν Cubum, Solidum scilicet numerum interpretatus est. Cubus etenim numerus (ut in praecedentibus explicavimus) ille dicitur, qui ex multiplicatione alicuius numeri in se ipsum, et in productum oritur; quod nullo pacto septenario convenire potest. Verùm hoc declarato consequens est explicare, quaenam sint duae harmoniae, quas ipsa sesquitertia radix quinario coniugata praebet ter aucta. Duas igitur harmonias hic Plato vocat duos numeros alterum Quadratum et alterum Cubum; quorum Quadratus quidem est ipse centum quadraginta quatuor à duodenario in se multiplicato productus: Cubus autem est ipse mille septingenta viginti octo duodenarii Cubus. duodecies enim duodecim centum quadraginta quatuor, et duodecies centum quadraginta quatuor, mille septingenta viginti octo producunt. Isti duo itaque numeri, nempe centum quadraginta quatuor Quadratus, et mille septingenta viginti octo Cubus à duodenario producti duae harmoniae sunt, quas de mente Platonis septenarius, sive Sesquitertia radix quinario coniugata nobis praebet ter aucta. Non ab re autem adiecit Plato particulam illam „*ter aucta*“ nam in praebendis hisce duabus harmoniis septenarius quinario coniugatus ter augetur. primùm enim dicimus septem, et quinque, duodecim, ecce primum septenarii augumentum: deinde duodenarium in se ipsum multiplicamus ut prima nobis centum quadraginta quatuor quadrata producatur harmonia, ecce secundum augumentum ipsius septenarii: postremò ipsum centum quadraginta quatuor Quadratum numerum duodenario multiplicamus ut secundam habeamus mille septingenta viginti octo cubicam harmoniam, ecce demum tertium septenarii augumentum. Praeterea septenarius mox cùm ipsi quinario coniugatus fuerit, ter augetur: quoniam duodenarius ex ea coniugatione producitur, qui ad tria usque intervalla auctus est, cùm Solidus sit; bis enim tria sex,

et bis sex, duodecim; similiter bis duo, quatuor, et ter quatuor, duodecim. quare cùm septenarius quinario coniugatus duodenarium efficiat, ex quo postea duae iam dictae harmoniae oriuntur; non immeritò hanc etiam secunda ratione dixit Plato, quòd septenarius quinario coniugatus duas nobis praebet harmonias ter auctas. Est autem hic adnotandum quòd non ab re Plato Quadratum, et Cubum numerum harmonias appellat. quemadmodum enim harmonia tunc esse perfectissima dicitur, cùm soni, seu voces omnes invicem aequales ita sunt, ut quoad sonorum, vel vocum magnitudinem, ne una quidem superet aliam: sic etiam numeri tum quadrati, tum cubi maximam in se harmoniam habent, quoniam eorum latera sunt semper aequalia, nec unum ab alio superatur. *„Unum quidem aequalem aequaliter centum centies.“* His verbis explicat Plato unam ex duabus harmoniis, quas Sesquitertia radix nempe septenarius quinario coniugatus praebet ter auctus. eam autem esse dicit aequalem, aequaliter centum centies. quae porrò verba rectè percipientur uno prius declarato, quod scilicet volens Plato quibusdam obscuris verbis declarare duas harmonias, quas diximus esse duos numeros, Quadratum scilicet centum quadraginta quatuor, et Cubum mille septingenta viginti octo: explicat eos per similitudinem duorum aliorum numerorum illis consimilium, quorum alter est numerus decem millia, alter verò numerus millena millia. quemadmodum enim numerus centum quadraginta quatuor erat Quadratus duodenarii; sic decem millia numerus, est Quadratus centenarii; et sicut numerus mille septingenta viginti octo erat duodenarii Cubus, ita millena millia numerus est Cubus centenarii. Nam centies centum faciunt decem millia Quadratum, centies autem decem millia, producunt millena millia Cubum. Duas itaque iam dictas harmonias centum quadraginta quatuor Quadratum, et mille septingenta viginti octo Cubum per hos alios duos numeros decem millia Quadratum, et millena millia Cubum explicat Plato, quos etiam ratione iam dicta duas harmonias nuncupat. harum autem unam esse dixit aequalem aequaliter, centum centies, ipsum scilicet decem millia Quadratum numerum habentem latera aequalia, nempè centum unitatum eorum unumquodque. quem utique numerum Quadratum non immeritò aequalem aequaliter dixit, quoniam omnis numerus Quadratus aequalis aequaliter ab Arithmeticis dicitur; hoc est ab aequalibus lateribus tum productus, tum contentus. Haec igitur est prima Platonis harmonia, per cuius similitudinem explicavit nobis primam duarum harmoniarum, quas Sesquitertia radix quinario coniugata praebet ter auctas. *„Alterum verò aequalis quidem longitudinis, sed prolongiori, centum quidem numerorum ex diametris effabilibus quinariis indigentibus una singulis, duabus autem ineffabilibus; centum verò cuborum trinitatis.“* Secundam ex iam dictis duabus numerorum decem millia, et millena millia harmonia in hac parte divinus, admirandusque Plato quibusdam verbis, omnium certè Platonicorum verborum obscurissimis circumscribit. hanc autem harmoniam inquit esse aequalis quidem longitudinis,

sed praelongiori, centum quidem numerorum ex diametris effabilibus quinariis indigentibus uno singulis, duobus autem ineffabilibus; centum verò cuborum trinitatis, quae porrò circumscriptio nil aliud nobis indicat, nisi cubum ipsum numerum millena millia. Verùm ut haec obscurissima verba prorsus candida reddantur in memoriam revocandum est, quòd quilibet Solidus numerus habet tria latera, quibus producitur, atque constat; unum quidem longitudinis, alterum verò latitudinis, tertium autem altitudinis. ut exempli gratia si dicamus bis tria, sex, et quater sena viginti quatuor: hic est numerus solidus, cuius longitudo quidem tria, latitudo autem duo, altitudo verò quatuor sunt. similiter si numerum centenarium in se ipsum multiplicemus, oritur Quadratus decem millia numerus: quod si rursus eodem centenario numero iam dictus decem millia Quadratus numerus multiplicetur, ex hac utique multiplicatione gignitur numerus millena millia Cubus: huius autem Cubi tria latera sunt tres numeri centenarii, quandoquidem eius longitudo, latitudo, altitudóque centum unitatum existit, cùm omnes invicem aequales esse debeant. Quòd si numerum hunc non quatenus Cubum, sed quatenus Planum consideremus (quilibet enim Solidus numerus tum quatenus Solidus, ex tribus scilicet lateribus productus; tum quatenus Planus ex duobus videlicet productus lateribus considereri potest) nempe quatenus ex duobus centenario, ut decem millia lateribus producitur: erit eius latitudo quidem numerus centenarius, longitudo verò decem millia numerus. quemadmodum enim imaginamur Cubum numerum figuratum, cuius longitudo centum, et latitudo centum, et altitudo itidem centum unitatum est: ita etiam Antelongiorem, seu Praelongiorem numerum Planum (quem qualis sit in superioribus declaravimus) iuxta formam parallelogrammi rectanguli figuratum imaginari possumus; cuius latitudo quidem sit centum, longitudo verò decem millia. Uterque autem istorum duorum numerorum erit ipse millena millia numerus. Hunc itaque numerum, seu secundam harmoniam Plato quibusdam obscurissimis verbis circumscribere voluit, dixit eum esse „*aequalis quidem longitudinis*“ scilicet longitudini primae harmoniae hac declaratae, cuius etiam longitudo centum sunt „*sed Praelongiori*“ hoc est ipso eodem millena millia numerò tanquam Praelongiori suscepto, erit utique iuxta longitudinem, et latitudinem simul „*centum quidem numerorum*“ quorum unusquisque scilicet in se decem millia continet: centies enim decem millia iam dictum millena millia numerum procreant, „*centum verò Cuborum trinitatis*“ hoc est si idemmet numerus tanquam Solidus, et Cubus accipiatur; erit iuxta altitudinem centum Cuborum. nam ipse millena millia numerus tanquam Cubus consideratus, centum in altitudine parvos Cubos habet ex unitate productos, quos equidem Plato Cubos trinitatis non immeritò vocavit: tum quoniam omnis Cubus tribus suis lateribus, ac dimensionibus trinitatem corpoream indicat: tum etiam quia iam dicti centum parvuli Cubi denotant altitudinem ipsius millena millia Cubici numeri, quae quidem altitudo cuique corpori soliditatem, trinamque di-

mensionem, ac demum trinitatem ipsam praebet. mox enim cùm longitudini, latitudinique tertium intervallum, altitudo scilicet advenerit, corpus perficit, ipsique trinitatem exhibet. Hoc igitur modo Plato centenarii Cubum, ipsum scilicet millena millia circumscripsit. Verùm ut hanc circumscriptionem adhuc obscuriorem redderet cum dixisset iam dictum Cubum, tanquam Praelongiorem numerum consideratum fore iuxta longitudinem simul, et latitudinem centum quidem numerorum: statim subiunxit „*ex Diametris effabilibus quinariis indigentibus uno singulis, duabus autem Ineffabilibus;*" quibus planè verbis circumscripsit unumquemque illorum centum numerorum, quorum quilibet est decem millia, circumscriptio verò talis est, quòd scilicet unusquisque centum illorum numerorum componitur ex Diametris aliquot Effabilibus quinariis indigentibus uno singulis, et ex duabus Ineffabilibus. Verùm ut haec obscurissima circumscriptio luce clarior fiat, revocandum rursus in memoriam, quòd sunt quidam numeri vocati Diametrales, sive Diametri (ut in superioribus declaravimus) quorum alii quidem sunt Effabiles, alii verò Ineffabiles: horum autem utrique duplices; alii namque sunt Diametri Parium Quadratorum, alii Quadratorum Imparium, et Parium quidem Quadratorum Diametri (ut in superioribus dicebamus) in se multiplicati producunt Quadratos numeros duplos Quadratorum, quorum ipsi Diametri sunt uno superabundante; Quadratorum autem Imparium Diametri possunt duplum Quadratorum, quorum Diametri sunt uno deficiente. Hisce commemoratis, dico quòd volens Plato circumscribere quemlibet iam dictorum centum numerorum comprehendentem unitates decem millia, dixit eorum unumquemque fieri „*ex Diametris*" id est numeris nuncupatis Diametralibus, seu Diametris „*Effabilibus quinariis*" hoc est Diametris Quadrati producti a quinariis, quippe qui sunt ipsi septenarii numeri Effabiles „*indigentibus uno singulis*" id est quorum (sic) Diametrorum potentiae uno indigeant ad complendum duplum Quadrati ab ipso quinario producti, quae nimirùm est proprietas Diametrorum Imparibus tum costis, tum earum Quadratis correspondentium „*duabus autem Ineffabilibus*" hoc est non solum componitur iam dictus decem millia numerus ex septenariis, qui sunt Effabiles Diametri ipsius Quadrati a quinario producti indigentes uno singuli, verum etiam ex duabus Ineffabilibus insuper adiunctis; ita ut ex aliquot septenariis, unà cum duabus Ineffabilibus simul compositis ipse decem millia numerus conficiatur. Animadvertendum autem quòd Platonis intentio non est ut ex duabus Diametris Ineffabilibus numerus iste constituatur; sed ex Potentiis, seu Quadratis duarum ineffabilium Diametrorum, quae quidem Potentiae quanvis Dicibiles sint, (ut in superioribus diximus) Ineffabiles tamen propterea vocantur quòd Diametrorum Ineffabilium Potentiae sunt: de his igitur Potentiis intelligit Plato cùm inquit „*duabus autem Ineffabilibus*" unde etiam non immeritò cùm de ipsis Effabilibus locutus est, posuit particulam „*Diametris*" cùm verò de Ineffabilibus mentionem fecit, particulam ipsam „*Diametris*" non apposuit, sed absolutè dixit „*Duabus autem*

Ineffabilibus." quòd si quis dicat ibi quoque iam dictam particulam subintelligi, respondendum quòd Diametros Ineffabiles Plato pro Diametrorum Ineffabilium Potentiis, nempe Quadratis accepit. nullo pacto namque Diametri simul Ineffabiles componi possunt, ut ex eorum compositione numerus Effabilis oriatur qualis est ipse decem millia, qui producendus est. Omnis enim effabilis numerus divisus per numerum Effabilem, in numeros Effabiles perpetuò dividitur: Effabilis verò per Ineffabilem divisus, in partes Ineffabiles semper dividitur: Ineffabilis autem per Effabilem si dividatur, in partes Ineffabiles semper dividetur: Ineffabilis demum per Ineffabilem divisus, quandoque dividitur in partes Effabiles, quandoque in Ineffabiles. Undè manifestum est quòd ex Effabilibus quidem numeris invicem compositis Effabilis numerus semper creatur: ex Ineffabilibus verò compositis ad invicem, Ineffabilis semper fit: ex Effabili autem, et Ineffabili fit semper Ineffabilis; ut iis perspicuum est, qui circa numeros tum Effabiles, tum Ineffabiles consumatissimi sùnt, qualis est praestantissimus omnium huiusce rei professorum Aeques Pompeus Bolognettus hac nostra tempestate certè mirandum Individuum. Talis igitur est circunscriptio, qua numerum decem millia Plato circunscribere voluit. Ut autem ipsa magis elucear, exemplis quoque declaranda est. Suscipiatur itaque septenarius numerus, qui Effabilis Diameter est quinarii, unóque indiget ad complendam Potentiam duplam potentiae eiusdem quinarii; et multiplicetur per numerum millè quadringenta decem: producetur quidem ex ea multiplicatione numerus novem millia octingenta septuaginta, qui complectitur in se mille quadringentos decem septenarios, hoc est Effabiles quinarii Diametros indigentes uno singulos. posthaec ascipiantur duae Ineffabilium Diametrorum potentiae, quarum una quidem sit triginta tria, Potentia scilicet Diametri Quadrati à quaternario producti: altera verò nonaginta septem, videlicet Potentia Quadrati à costa septem producti, quae porrò duae potentiae superiori novem millia octingenta septuaginta numero addantur, totáque summa inde proveniens in unum colligatur: dubio procul numerus decem millia producetur, ut in subscripto patet exemplo. numerus itaque decem millia constat ex mille quadringentis decem septenariis, id est Diametris Effabilibus quinariis indigentibus uno singulis, qui simul collecti faciunt novem millia octingenta septuaginta: et duabus Ineffabilibus, hoc est duabus Ineffabilium Diametrorum Potentiis, triginta tribus scilicet, et nonaginta septem. Similiter autem potest etiam ipse decem millia numerus creari ex duabus aliis Ineffabilium Diametrorum Potentiis, unà cum paucioribus septenariis. ut in secundo subscripto exstat exemplo. Rectè igitur quamvis obscurè Plato ipsum decem millia numerum circunscripsit dicens eum fieri ex Diametris Effabilibus quinariis indigentibus uno singulis, duabus autem Ineffabilibus. Hactenus autem manifestum est quaenam sit etiam altera, secundáque harmonia, per cuius similitudinem explicuit Plato secundam harmoniam duarum, quas ipsa Sesquitertia radix, sive septena-

1410
7
9870
33
97
10000

890
7
6230
73
3697
10000

rius quinario coniugatus praebet ter nustus. „*Universus autem hic numerus Geometricus huiusmodi, autor potiorum deteriorumque generationum est.*“ Duo hic quoque declaranda sunt, primum quisnam sit geometricus numerus, secundum quae sint potiores, deterioresque generationes, quarum ipsum Geometricum numerum autorem esse Plato dicit. Geometricum itaque numerum vocat Plato ipsum Cubum mille septingenta viginti octo, quem declaravit per similitudinem alterius Cubi millena millia. Hoc autem nomen „*Geometricus*“ communiter hic accipiendum est pro „*Mathematicus*“ perinde ac si Mathematicum numerum Plato eum nuncupasset. Is enim Platonis mos est saepe Geometriae nomen pro tota Mathematica suscipere, ut patet ex eius praecepto, quod in foribus scholae suae scripsisse fertur οὐδεὶς (sic) ἀγεωμέτρητος εἰσίτω hoc est, nemo Geometriae ignarus ingrediatur. Volebat enim Plato suos auditores non solùm Geometriae, verùm etiam Arithmeticae, Musicae, Astronomiae, totiusque demum scientiae Mathematicae peritos esse: quanvis dixerit nemiscem Geometriae ignarum ingredi; quod etiam quodam alio mysterio fecit, quod in praesentia brevitati studentes relinquimus. Cùm igitur nomen Geometriae pro totius Mathematicae nomine Plato quandoque usurpet, non ab re hic quoque Geometricum numerum pro Mathematico numero suscepit. quandoquidem ad constituendum, ac declarandum ipsum mille septingenta viginti octo numerum, quem Geometricum, hoc est Mathematicum appellat, quatuor praecipuis Mathematicis scientiis indiguit Plato, Arithmetica nempe, Musica, Geometria, et Astronomia: Arithmetica quidem, quoniam ex variis numeris eum constituit: Musica verò, quoniam in eo constituendo de harmonijs habetur sermo: Geometria autem, quia numerus ille Cubicum Geometricam figuram repraesentat, nec non in eius constitutione Diametrorum, et Quadratorum, et figurarum Praelongiorum fit mentio, quae omnia sunt Geometriae subiecta: Astronomia denique Plato indiguit, quandoquidem (ut in sequentibus videbimus) numerum hunc motibus coelestibus accommodat, ex quibus rerum omnium ortus, atque interitus, mutationesque fiunt, ac demum universus regitur mundus. Talis itaque numerus Geometricus Platonis, ac eius etymologia sit. Potiores autem generationes vocavit Plato eas, quae à duobus bonis: deteriores verò eas, quae à duobus malis genitoribus fiunt. nam ex duobus quidem bonis vult Plato prolem nasci bonam; ex duobus verò malis malam; ex bono autem, et malo neque omnino bonam, neque prorsus malam, quemadmodum etiam in numeris si Par Parem multiplicet, semper Par nascitur: si autem Impar Imparem multiplicet, Impar continuò procreatur: si verò Par Imparem, vel Impar Parem multiplicet, Pariterimpar, vel Impariter par semper exoritur; qui sunt medii inter Imparem, et Pariter parem. At Pythagorei, Platonicique Impares quidem numeros bonos appellabant, Pares verò malos: Parium autem eos quidem, qui Pariterpares sunt, vocabant omnium pessimos; eos verò, qui sunt Pariterimpares, vel Impariter-

pares, neque omnino malos, neque penitus bonos esse dicebant, sed partim bonos, partim malos, quatenus ex Paris, et Imparis natura participant. Hactenus itaque manifestum nobis est quisnam Geometricus numerus, quaeque potiores, ac deteriores generationes apud Platonem sint, quarum ipsum Geometricum numerum autorem esse dicit."

Haec Barocius, partim recte, partim secus. Nos vero ea, quae recte explicuit, infra, ubi nostram interpretationem proponemus, significabimus; in praesentia errores ab eo commissos notabimus. Primum igitur erravit eo, quod *αὐξήσεις δυναμένας τε καὶ δυναστευομένας augumentationes* interpretatus est *superantes et superatas*, seu rationes maioris et minoris inaequalitatis, ut quum deinceps ponantur numeri 27, 18, 12, 8, ratione sesquialtera singuli singulos proximos superantes, rursusque inverso ordine positi 8, 12, 18, 27, ratione minoris inaequalitatis, quae subsesquialtera dicitur, singuli a singulis proximis superati. Neque enim numero, cuius ad alterum ratio minor est, tamquam tali *αὔξησις* tribui potest; neque *δύνασθαι* est superare, aut *δυναστεύεσθαι* superari.

Secundus error Barocii commissus est circa *τὸν ἐπέκριτον πυθμένα*, quem numerum septenarium esse putat, quamobrem eos probat, qui sesquitertiam radicem vel propaginem, vel etiam sesquitertium fundum verterunt, qui vero sesquitertium cubum, eos impugnat. Sed *πυθμὴν* a veteribus arithmeticis dicebatur minimus cuiusque generis numerus, in quo primo conspiceretur id, quod proprium eius generis esset. Cuius significationis quum multa ex scriptoribus graecis proferri possint documenta, unum instar omnium erit. Itaque in eo libro, quem *Θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς* inscriptum nuper typis repeti iussit Astius, p. 27. ubi sermo est de numero quinario, iustitiae imagine, verba leguntur haec, quae paullo emendatiora, quam scripta sunt ab Astio, apponam. *Εἴ τις τοίνυν ἀριθμὸς ἰσάκις ἴσος ἐστὶν, οὕτως δικαιοσύνης εἰδοποιὸς καὶ ἐπιδεκτικὸς ἂν εἴη. πᾶς δὲ τετράγωνος ἰσάκις ἴσος ὑπάρχει, ἀλλ' οὐ πᾶς μεσότητος δεκτικὸς, ἀλλὰ μάνος δηλονότι ὃς ἂν περισσὸς εἴη· καθόλου γὰρ ἀρτίου ἀριθμοῦ μεσότης οὐ φαίνεται· περισσῶν δὲ προσεχέστατος καὶ οἰκειότατος ἂν εἴη ὁ πυθμὴν, εἰ καὶ τῶν αὐτοῦ λόγων ἐπιδεκτικὸς ὁ μετ' αὐτόν. Ἐπιστημονικαὶ δὲ καὶ φιλόσοφοι ἀποδείξεις ἀεὶ τοῖς πυθμέσιν ἐλαχίστοις ἔτι καὶ ἂν .. πόστοις ἐπιχρῶνται καὶ ἐνορῶσιν ἐν αὐτοῖς ὡς ἐν παραδείγμασί τισι τὰς ὁμοιότητας τῶν ὁμογενῶν, οἷον διπλασίων μὲν ἀπείρων φύσει ὄντων, ἐν δυάδι μᾶλλον πρὸς μονάδα, ἡμιολίων δὲ ἐν τριάδι πρὸς δυάδα· ὥστε ἡ τῆς δικαιοσύνης ἔννοια καὶ φύσις ἐν ἰσάκις ἴσῳ δεικνυμένη ἀριθμῷ, τουτέστι ἔν τῳ τετραγώνων, ἐν ἀρτίῳ μὲν οὐκ ὀρθῶς δειχθείη ἂν μεσότητος ἀμοιροῦντι, ἀλλ' ἐν περιττῷ δηλονότι καὶ τῶν περιττῶν ἐν πυθμενικωτάτῳ καὶ οἱονεὶ σπέρματι τῶν ἄλλων, διὰ τὸ ἐπιστημονικόν. ἐν ἄρα πρωτίστῳ τῷ θ̄. οὗτος*

γὰρ καὶ ἀπὸ πρώτου περισσοῦ ἀριθμοῦ τοῦ γ̅ πυθμὴν τετράγωνος συνίσταται, τρὶς τρία ὤν, πλευρισμοῦ μεσότητα πρώτου ἔχοντος τετράγωνος καὶ αὐτὸς μεσότητα πρῶτος ἔχων. In his περισσῶν δὲ προσεχέστατος scripsi pro περισσὸν δ. π. Pro τῶν αὐτοῦ λόγων scribi poterit τ. αὐτῶν λ. ἄν., πόστοις significare videtur ἀνοπόστοις. τὰς ὁμοιότητας feci e τὰ ὁμοιότατα, et ἔν τῳ τετραγώνων ex ἐν τῇ τετ. Verba διὰ τὸ ἐπιστημονικόν commate a praecedentibus separavi. Denique πρώτου ἔχοντος reposui pro πρῶτον ἔχ. et commate post ἔχοντος sublato τετράγωνος cum πλευρισμοῦ, h. e. lateribus constantis numeri, coniunxi. Reliqua sana sunt, eamque, quam nomini πυθμὴν significationem tribuimus, confirmant. Iam vero proprium sesquitertii est, quod numerum aliquem totum insuperque tertiam eius partem continet, seu tertia eum parte superat. Quod tantum abest ut primo appareat in septenario, ut omnino ab eo alienum sit. Illud autem, quod Barocio fraudi fuit, quod ad sesquitertiam rationem et ternario et quaternario opus est, qui uterque coniunctus septenarius est, facile explicatur. Nam inest in quaternario simulque cum eo apparet idem ille, qui rationem perficit, numerus ternarius. Quem si extrinsecus addi ad alterum oporteat, ut sesquitertia scilicet ratio conspiciatur, ne septenarius quidem sufficiet, sed accedere debebit monas, qua quidem ternarium superat quaternarius, et ἐπίτριτος πυθμὴν erit octonarius. His quoque confirmandis, simul vocabuli πυθμὴν usui uberius declarando unus inserviat veteris arithmetici locus, Nicomachi Geraseni, ex eius *Introductione arithmetica* Lib. I. cap. 19. p. 95. ed. *Ast.* quo loco postquam rationum superparticularium primam, sesquialteram, explicuit, de secunda haec habet: Ἐὰν δὲ ἐπισκέψασθαι θέλωμεν τὸ δεύτερον εἶδος τῶν ἐπιμορίων, τουτέστι τὸ ἐπίτριτον — συνεχὲς γὰρ μέρος φυσικῶς μετὰ τὸ ἥμισυ ὑπάρχει τὸ τρίτον — ὅρον μὲν αὐτοῦ ἕξομεν τοῦτον, ἀριθμὸς ὁ ἔχων ἐν ἑαυτῷ ὅλον τε τὸν συγκρινόμενον καὶ μέρος αὐτοῦ τρίτον πρὸς τῷ ὅλῳ· ὑποδείγματα δὲ αὐτοῦ εὕτακτα ληφθήσονται ἡμῖν οἱ ἀπὸ τετράδος συνεχεῖς τετραπλάσιοι, συνεζευγμένοι τοῖς ἀπὸ τριάδος τριπλασίοις, ὁμοταγεῖς ὁμοταγέσιν, οἷον ὁ δ̅ τῷ γ̅, ὁ η̅ τῷ ϛ̅, ὁ ιβ̅ τῷ θ̅, ὁ ισ̅ τῷ ιβ̅, καὶ κατὰ τὰ αὐτὰ ἐφ' ὁσονοῦν. Δῆλον δὲ, ὅτι ὁ ἀνθυπακούων τῷ ἐπιτρίτῳ, λεγόμενος δὲ σὺν τῇ ὑπὸ προθέσει ὑπεπίτριτος, ἐστὶν ὁ ἐμπεριεχόμενος ἐκείνῳ ὅλος τε καὶ προσέτι αὐτοῦ τρίτον, ὡς ὁ μὲν γ̅ τῷ δ̅, ὁ δὲ ϛ̅ τῷ η̅, ὁ δὲ θ̅ τῷ ιβ̅, καὶ οἱ ἀκόλουθοι τῶν ὁμοταγῶν. Παρατηρητέον δὲ τὸ παρεπόμενον πᾶσι τούτοις γλαφυρὸν, ὅτι οἱ μὲν πρῶτοι καὶ πυθμένες λεγόμενοι ἐγγύς εἰσιν ἀλλήλων ἐν τῷ φυσικῷ χύματι, οἱ δὲ δεύτεροι ἀπὸ πυθμένων ἕνα μόνον ἀριθμὸν διαλείπουσιν, οἱ δὲ τρίτοι δύο, οἱ δὲ τέταρτοι τρεῖς, οἱ δὲ πέμπτοι δ̅, καὶ ἀεὶ οὕτως, μέχρις οὗ βούλει. Ἔτι γε μὴν καὶ ὅτι τὸ μόριον, οὗ παρώνυμός ἐστιν ἕκαστος τῶν ἐπιμορίων, ἐν τοῖς ἥττοσι

θεωρεῖται τῶν ἀνθμένων, ἐν δὲ τοῖς μείζοσιν οὐδαμῶς. Non vereor, ne quis Barocii opinionem confirmari putet eo, quod ad rationem sesquitertiam Nicomachus coniungi iubet quadruplices cum triplicibus, eamque σύζευξιν non additionem, sed σύνθεσιν esse neget. Nam qui duo ἀνθμένας, maiorem alterum eumque ἐπίτριτον, alterum minorem et ὑπεπίτριτον distinguit, quomodo is numerum utrique coniuncto parem ἀνθμένα ἐπίτριτον dicat aut existimet? Minorem quidem poterit, quum subsesquitertia ratio natura non differat ab sesquitertia. Certe idem Nicomachus Lib. II. c. 19. p. 134. novenarium ἐπίτριτον ἀνθμένα duodenarii, non ὑπεπίτριτον, dicit.

Tertium falsus est Barocius, quod duas harmonias nihil nisi numeros quadratum et cubum significare putavit, eosque non certae cuiusdam radicis, sed cuiuslibet. Nam verbis eius accuratius perpensis tantum ad speciem et exempli gratia positam duodenariam radicem, re ipsa perinde esse intelligitur, quaecunque ponatur, dummodo ea quadratum et cubum numeros producere valeat, quod nulla non valet. Itaque vanum erat, unum ex reliquis potius eligere numerum duodenarium, quam eum, qui in superioribus significatus esset, retinere orationemque ita instituere: — ἀπέφηναν· ὃς τοῖς αὐξηθεῖσι etc. Sin autem eligi debebat ille, cuius scilicet cubus esset numerus a Musis significandus, vanum erat etiam priorem harmoniam vel uno verbo attingere, quum praesertim inter priorem et posteriorem secundum Barocianam quidem harmoniae declarationem nihil prorsus interesset. Atque hoc ipsum certius etiam documentum habemus, errasse hac in re Barocium. Aequalitatem sonorum enim, qua illo perfectissimam constare harmoniam dicit, sive in pari intentione vocis, sive in eo, quod unisonum vocatur, seu denique in similitudine et consensu eorum, quae quamvis diversa sint, tamen consona dicuntur, positam esse intelligas, non eam aliter referet et quasi repraesentabit numerus quadratus, aliter cubus, quippe qui pariter aequilateri sint. Neque ita excusari potest Barocius, ut duorum sonorum consonantiam quadratam, trium cubicam harmoniam intellexisse dicatur. Primum enim non hoc dicit, deinde si diceret, falleretur, quum aequalitatis ratio non mutetur terminorum numero, qua de causa ea harmonia, quae duorum aequalitate sonorum efficitur, si per hanc ipsam aequalitatem harmonia est, nullo modo differre potest ab ea, quae tribus item aequalibus sonis constat. Itaque duae harmoniae dici non poterant. Accedit quod, si quadratum et cubum simpliciter intelligi vellet scriptor, omittere debebat verba τοῖς αὐξηθεῖσι, quibus adiectis et eo quidem sensu, quo usus iubebat, dictis non aliter locutus esset, ac si quis nostratium diceret: welche Zahl zweimal mit ſich ſelbſt multiplicirt zwei gleichſeitige Producte giebt, ein Quadrat und einen Cubus. Cuius locutionis vitium ipse sensisse videtur Barocius idque sublaturus aliam addidisse verborum τοῖς αὐξηθεῖσι interpretationem, non magis probabilem. Casu enim accidit, ut ἐπίτριτος ille ἀνθμὸν πεμπάδι συζεύξας numerum efficiat solidum, neque haec eius soliditas

aut per *συζυγίαν* istam producta aut ulla ad harmonias gignendas efficacia praedita est.

Denique in explicanda harmonia posteriore semel et iterum labitur Barocius, dum praecepta opinione securus et rerum et verborum rationem negligit. Quod ad verba attinet, non eget demonstratione, *τῇ προμήκει δὲ* significare non posse *tanquam praelongam* seu oblongam, sed pro iis aut *τῇ προμηκείᾳ δέ*, aut *ὡς προμήκη δέ*, aut simpliciter *προμήκη δέ* scribi debuisse. Nec defuere, qui tale quid scriptum a Platone conicerent, ut H. Stephanus, I. Cornarius et alii, qui quum praeterea nihil conicecerint, ne nominandi quidem videntur. Sed concedamus Barocio, quod concedi non debet, verba recipere eam interpretationem, ut sensus sit, alteram harmoniam, quandoquidem ut cubus consideretur, eadem esse qua priorem longitudine, sed ut numerum oblongum constare centum numeris a diametris quibusdam productis, et centum cubis ternarii: nonne centum illis diametrorum numeris longitudinem harmoniae oblongae, centum autem cubis ternarii latitudinem eiusdem constare putabimus? Verborum quidem structura per *μὲν* et *δὲ* iunctorum id iubet, qua non intellecta Barocius extrema *ἐναντὸν δὲ πύβων τριάδος* a prioribus disiuncta novam definitionem eiusdem numeri millies millenarii, nec velut oblongi, sed velut cubici, habere existimat. Sed rerum quoque rationem adversarius habet maxime, quum cubum ternarii non numerum viginti septem, sed omnino cubum significare contendit. Quam opinionem quum non verendum sit ne cui persuadeat, diutius in ea refutanda morari nolo.

His igitur fundamentis, non admodum firmis, Barocius hanc totius loci instruxit interpretationem, quam ipsius verbis, quamquam interdum vitiosis, exponere visum est.

„Cùm ostendisset Plato finem, qui dari potest in corporibus coelestibus; modò declarat finem rerum omnium generabilium, et corruptibilium quodam numero, quem circumscribit illis difficillimis, ac profundissimis mathematicis circumscriptionibus, quas in superioribus declaravimus. Quod autem hic ait Plato est huiusmodi. Finis rerum omnium generabilium, et corruptibilium est ille (sic) rerum periodus, quem etiam superius dixit, in quo coelestes revolutiones singulis rebus circulorum generationis, et corruptionis conimungunt ambitum; quando scilicet unaquaeque res genita ad suae vitae, ac durationis terminum pervenerit. Hunc autem terminum, quoniam soli Deo cognitus est, per cuiusdam numeri similitudinem Plato declaravit, nempe ipsius mille septingenta viginti octo, quem Geometricum rationibus superius dictis appellavit. Hunc siquidem numerum inquit Plato autorem esse generationis, et corruptionis rerum; quoniam cùm ad finem suum res pervenerint, statim corrumpuntur, et eisque aliae generantur; quippe cùm unius corruptio generatio alterius sit, ut affirmat etiam Aristoteles: nil aliud autem apud Platonem numerus iste significat, nisi rerum finem, statum, et generationem; et hoc non immerito. numerus enim iste scilicet mille septingenta vi-

gināti octo producitur à duodenario (ut in superioribus vidimus) estque ipsius duodenarii Cubus, quare quatenus Cubus est significat rerum finem: quoniam quemadmodum ultra solidum non transit magnitudinum potestas, ita quaelibet res genita non transcendit suae durationis terminum: quatenus autem à duodenario productus est iste numerus Geometricus, designat rerum omnium generationem, statum, atque permanentiam; quandoquidem numerus duodenarius tum a Pythagoreis, tum à Platonicis propter maximas eius perfectiones, quas in praesentia longum esset enarrare, mundum regere et conservare dicitur, et universi numerus appellatur. Undè etiam in Legibus Plato numero duodenario civitatem, agros, custodias, et magistratus disponit: in Phaedro verò duodecim adducit ordines divinorum: in Timaeo duodecim facibus informat mundum: in Critia plagis duodecim antiqua ante diluvium regna describit: ac demum in Epinomide duodenarium numerum Iovis imperium vocat propter sphaeras mundi visibiles duodecim, scilicet octo coelestes, et quatuor elementares. Praeterea quadam etiam alia ratione Plato per huius numeri similitudinem terminum rerum generabilium declaravit, ipsumque potiorum, ac deteriorum generationum autorem esse dixit, quae quidem ratio talis est, quoniam (ut in superioribus diximus) Plato vult ex bonis nasci bonum, et ex malis malum, et ex bono simul, et malo, neque omnino bonum, neque malum: boni autem numeri sunt: Impares, Perfecti, Aequilateri, Similes, Quadrati, Cubi, Effabiles, et id genus; mali vero his oppositi scilicet Pares, Imperfecti, Inaequilateri, Dissimiles, Parteaitera longiores, Praelongiores, Ineffabiles, et huiusmodi alii: non immeritò numerus Geometricus mille septingenta viginti octo potiorum deteriorumque generationum autor dicitur; cùm eius constitutionem à Platone positam omnes iam dictae tam bonorum, quàm malorum numerorum species ingrediantur. His itaque duabus rationibus Plato numerum hunc geometricam ipsius rerum ortus, atque interitus autorem esse posuit, eiusque similitudine rerum generabilium terminum declaravit."

His exhibitis nihil morari videtur, quin nostram sententiam de toto loco aperiamus. Itaque de integro Musas, hoc est Platonem, audiamus. Humanae proli dicit esse periodum, quam comprehendat numerus quidam, in quo primo incrementa quaedam, postquam tria intervalla et quatuor terminos certae cuiusdam indolis acceperint, omnia certo quodam modo comparata praestent, quorum sesquitertia radix certa quaedam passa duas harmonias praebent; quibus harmoniis descriptis universus hic, inquit, numerus geometricus ea vi praeditus est, ut meliorum et deteriorum generationum auctor sit, quorum inscii quum civitatis custodes importuno tempore sponsas sponsosque copulaverint, liberi non bona indole nec fortunati erunt. In his primum hoc notandum, illum numerum, qui generis humani periodum comprehendat, diversum ab eo esse, qui in fine dicitur meliorum deteriorumque generationum auctor. Nam idem si esset, neque ille de

sesquitertia radice et de duabus harmoniis adiicienda erant, quippe quae non modo ad significandum et uberius declarandum numerum illum nihil utilitatis habitura, sed tenebris eum non tam per ludibrium, quam stulte et temere involutura essent; neque vero universus hic et geometricus in fine dici debebat numerus, quum qui proxime significati essent harmoniarum duarum numeri non possent non per verba ξύμπας οὗτος comprehensi et cum primo illo in unum coniuncti, idque per multiplicationem, videri. Quomodo autem possit uterque diversus esse, sic intelligetur. Periodus tempus definitum est, quo praeterlapso id, cuius est periodus, cursum denuo incipit. Tales plantarum et animalium fertilitatis ac sterilitatis ratione habita periodi sunt, quae dum volvuntur, eadem generationis vel fecundae vel infecundae lex obtinet, finita periodo novus ordo secundum novam legem usque ad finem periodi constaturus inchoatur. Iam si generis rerum alicuius natura ea sit, ut plures deinceps periodi consimili vel fecunditate vel sterilitate soleant esse, et quae priorem quamque, eadem fere posteriorem temperet lex, certo autem periodorum numero confecto diversus a priori status oriatur, bonus, si praecesserit malus, malus, si bonus: nonne eum, qui curam susceperit rerum tali legi subiectarum, si providere velit, ne quid detrimenti capiant, et ad singularum periodorum et multo magis ad illius certo numero confecto secuturae initium attendere in eoque omnia facere oportebit, quae ad avertendam corruptionem vim habitura videantur? Itaque duorum huic numerorum cognitione opus erit, et eius, qui periodos definiat, et illius, qui periodorum et ipsas quasi periodos contineat, quorum priorem inesse et includi in posteriore apparet. Eodem modo homines animo et corpore certis periodis subiectos esse initio orationis Musae docuerunt, quarum periodorum ambitum hoc loco primum significant. Id autem ita faciunt, ut numerum quendam (annorum, ut consentaneum est,) definiant, in quo primo incrementa quaedam efficiant aliquid. Hic ego satis mirari nequeo, quod Barocius hunc quoque septenarium esse sibi persuasit. Verba ipsius appono ad fidem faciendam. „Hactenus itaque Plato, inquit, nil aliud nobis, nisi numerum septenarium circumscripsit illis verbis *in quo primo — Effabilia invicem effecerunt*; primus enim numerus in quo tria, et quatuor simul reperiri possunt est ipse septenarius, quippe qui ex tribus, et quatuor conficitur. quare volens Plato septenarium ipsum circumscribere, ut ex eo numerum Geometricum producat, non immeritò ex trium distantiarum, quatuorque terminorum numeris tanquam ex veris ipsius septenarii partibus ternario, et quaternario, primo scilicet Impari, primóque Pari eum formavit. Verum enim verò cùm septenarium ipsum hoc modo formasset, sequitur declarans quomodo ex eodem septenario Geometricus ipse numerus producatur; illis verbis „*quorum*“ scilicet quatuor terminorum, et trium distantiarum „*sesquitertia radix*“ id est septenarius ex ternario, et quaternario distantiarum, terminorumque numeris creatus etc. Haec mirum quantum

a vero distant. Scilicet significetur numerus minimus productus ex aliis numeris per incrementa illa effectis; qui numeri ita debent comparati esse, ut tribus intervallis et quatuor terminis quibusdam positis omnia appellationem eandem accipiant et effabilia fiant. Sed primum omnium declarandum est, quae illa incrementa sint. αὐξήσεις dicuntur δυνάμεναί τε καὶ δυναστευόμεναι. αὐξήσεις autem constat dici incrementa ea, quibus numerus aliquis per semet ipsum multiplicatus augetur. Porro δύνασθαι significat vim, qua praeditus est numerus vel linea ad quadratum ex sese producendum; ut δύο δύνανται τέτταρα, δίπους δύναται τετράπουν. δυναστεύεσθαι autem, cuius verbi in mathematicis exemplum aliud reperire non memini, quum haud dubie oppositum sit activo δύνασθαι, oppositam rationem significet necesse est, qua exempli gratia quadrupedale quadratum productum a linea bipedali eius quasi imperio et dominatui subiectum sit. Itaque αὔξησις δυναμένη τε καὶ δυναστευομένη brevius dicitur incrementum per multiplicationem radicis seu lateris et quadrati mutuam factum. Quum vero actio ipsa augendi, quae proprie dicitur αὔξησις, neque intervalla neque terminos accipere possit, quae non sunt nisi numerorum vel magnitudinum, hoc loco numeros per eiusmodi αὐξήσεις effectos αὐξήσεις obscurius dici intelligitur: ii vero ubi sunt. Confirmatur haec explicatio iis, quae deinde effecta per illas αὐξήσεις dicuntur, ut quatuor terminis positis omnia προσήγορα καὶ ῥητὰ πρὸς ἄλληλα praestent, quod ad eosdem cubos ducit. προσήγορα enim πρὸς ἄλληλα in numeris sunt, quibus inter ipsa comparatis eadem convenit appellatio, velut quum quatuor deinceps positi sunt numeri rationem sesquialteram habentes, haec ipsa ἡμιολίου appellatio convenit omnibus. ῥητὰ autem seu effabilia ea sunt, quae dici et pronuntiari possunt; ut sesquialterum quaternarii senarius, senarii novenarius, novenarii autem non item dici, quamquam et cogitari et oculis conspici potest sesquialterum. Itaque 4, 6, 9, et προσήγορα sunt et ῥητὰ πρὸς ἄλληλα, quartum terminum, qui idem sit προσήγορος et ῥητὸς πρὸς αὐτά, non recipiunt. Iam theorema est Euclidis Lib. VIII. 12: δύο κύβων ἀριθμῶν δύο μέσοι ἀνάλογόν εἰσιν ἀριθμοί. Quando igitur iubemur numeros ponere, qui quatuor in terminis omnia προσήγορα καὶ ῥητὰ πρὸς ἄλληλα efficiant, cubos si posuerimus, procul dubio fieri iussum poterit. Quae quum ita sint, porro videndum, quot et quos cubos ponamus; quod utrumque monstrant verba ἐν ᾧ πρώτῳ. Nam numerus, in quo primo cubi sint, haud dubie is est, in quo duo minimi sunt. Sed aliud praeterea requiritur hoc, ut interpositis inter cubos istos pro una tribus distantiis seu intervallis (ἀποκαταστάσεις, quod ante Bekkerum vulgo legebatur, etiam sine codicum auctoritate corrigendum erat) quatuor exsistant termini ὁμοιούντων τε καὶ ἀνομοιούντων καὶ αὐξόντων καὶ φθινόντων. Quorum verborum significationem Barocius secundum Fabrum exposuit, quam multis probare non opus est, quum satis certum sit ὁμοίους numeros esse, quorum latera in eadem ratione sunt, ut quo

modo latitudo ad latitudinem, eodem longitudo esse habeat ad longitudinem, ὑπερτριτὴς autem dici eos, quorum partes summam ipsis numeris maiorem efficiunt. quod ne absurdum videatur, observandum est partem numeri esse eum numerum, qui ipsum metitur. Illud tantum monendum, quod praetermisere Barocius et Faber, non sine causa Platonem vulgata nomina ὁμοίων et ἀνομοίων, ὑπερτριτῶν et ἐλλιπῶν vertisse in verba, ad vim et efficaciam eorum numerorum declarandam, quorum qui ipsi similes sint, iidem similia reddant alia, qua re nihil aliud, nisi incrementum ipsum, quod recipiendis similibus efficitur, significari videtur, nec aliter in reliquis. Et pertinet hoc ad idem loquendi genus, obscurum illud et Musarum vaticinio conveniens, quo αὐξήσεις δυναμένας τε καὶ δυνασευομένας appellaverat numeros per αὔξησιν δυναμένων et δυνασευομένων productos. Similes igitur et dissimiles et abundantes et deminutos habere debebit series illa quatuor numerorum, quae interiectis inter cubos istos duobus analogis efficitur. Qui si reperiuntur in serie a duobus minimis cubis comprehensa, dubitari non potest, quin eos ipsos Plato hoc loco significaverit. Atqui in ea reperiuntur. Nam e numeris 8, 12, 18, 27, duo extremi et deminuti et similes sunt, duo medii autem et abundantes et dissimiles. *) Ergo numerus periodum humanam finiens is est, in quo sunt numeri 8 et 27, sive qui compositus ex his duobus est. Sed hic dubitatio oritur, utrum per additionem eorum, an per multiplicationem producendus videatur. Si per additionem, prodibit numerus triginta quinque, sin per multiplicationem, ducenta sedecim. Triginta autem quinque annis quominus putemus periodum generis humani, qualem supra declaravimus, terminasse Platonem, quum ipsius numeri exiguitas faciat, tum quod in eo ait cubos duos recipere duos terminos medios, qui si per additionem productus est numerus, non in eo sunt, sed extra eum, sin autem per multiplicationem, sunt in eo; nam 12 decima octava et 18 duodecima ducentorum sedecim pars est. Accedit, quod apud eos, qui ex Pythagorae disciplina Platonem haec hausisse existimant, aliquid ponderis habiturum videtur, quod idem numerus 216, quem nos periodum humanam finire statuimus, renascentis ipsius Pythagorae periodos finire est creditus, auctore Anatolio in *Theologumenis arithmeticae* p. 40. ed. *Ast.* Ἀνδρονύδης δὲ ὁ Πυθαγορικὸς, ὁ περὶ τῶν συμβόλων γράψας, καὶ

*) Haec Schleiermacherus p. 592. erroris arguit, 8 et 18 itemque 12 et 27 similes, contra 8 et 12 et item 18 et 27 dissimiles, abundantes vero 8 et 27, deminutos 12 et 18 pronuntians. Sed abundantes non ii sunt, quos putat vir doctissimus, qui maiores sint partium suarum summa, sed contra, qui minores; et similitudo ac dissimilitudo his numeris non quatenus plani, sed quatenus solidi sunt, tribui videtur.

Εὐβουλίδης ὁ Πυθαγορικὸς καὶ Ἀριστόξενος καὶ Ἱππόβοτος καὶ Νεάνθης, οἱ κατὰ τὸν ἄνδρα ἀναγράψαντες, σιστ ἔτεσι τὰς μετεμψυχώσεις τὰς αὐτῷ συμβεβηκυίας ἔφασαν γεγονέναι· μετὰ τοσαῦτα γοῦν ἔτη εἰς παλιγγενεσίαν ἐλθεῖν Πυθαγόραν καὶ ἀναζῆσαι, ὡσανεὶ μετὰ τὴν πρώτην ἀνακύκλωσιν καὶ ἐπάνοδον τοῦ ἀπὸ ἐξ ψυχογονικοῦ κύβου, τοῦ δ' αὐτοῦ καὶ ἀποκαταστατικοῦ διὰ τὸ σφαιρικόν. Sed gravissimum argumentum infra proferetur. Ponamus igitur numerum multiplicatione duorum primorum cuborum procreatum significari, et ex hac hypothesi reliqua consideremus, quae si ita comparata sunt, ut eam firment, alterum non admittant, verum nos posuisse credamus. Sequitur autem hoc: ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγεὶς δύο ἁρμονίας παρέχεται τρὶς αὐξηθείς: cuius partem iam attigimus, quum Barocii errores singillatim arguebamus. Sed primum explicandum est ὧν (pro quo codex Regius vitiose habet ὡς) a Barocio propter maiorem, puto, vicini πυθμένος difficultatem neglectum, cuius tamen neglectionis poenam dedit eo, quod ne πυθμένα quidem invenit, sicut fieri non poterat, ut radicem inveniret, qui nesciret, cuius radix esset. Referri autem debet pronomen ad αὐξήσεις illas, quas numerum 216 producere vidimus, qui quum originem ducat a cubis duobus, necessario et ipse cubus est. Hanc eius naturam significaturus Plato, simul sensum quantum par esset occultaturus, pro singulari ad ἀριθμὸν referendo et facilius intelligendo uti maluit plurali, qui grammatice referretur ad αὐξήσεις, re ipsa ad earum multiplicatione effectum numerum. Qui quoniam cubus est, tribus cubis constat, quorum minimus latus habet dimidium lateris eius, ex quo tripartitus ipse natus est, medii latus sesquitertium est dimidii, maximi sesquiquartum medii seu sesquitertii. Cuius theorematis probatio hoc loco necessaria non est, applicatio autem ad nostram rem huiusmodi: Cubus 216 constat tribus cubis 27, 64, 125, quorum minimus latus habet dimidium senarii, ex quo ipse cubus 216 prodiit, medii latus quaternarius est, sesquitertiam ad latus minimi rationem habens, maximi quinarius, cuius ratio sesquiquarta ad quaternarium est. Ex his efficitur ἐπίτριτον πυθμένα illarum αὐξήσεων sive numeri per eas producti esse latus medii ex tribus minoribus cubis, quorum summa ipsum αὐξήσεων numerum exaequat, hoc est quaternarium, qui aptiore nomine dici non poterat, quum nomen πλευρὰ, quo latera quadratorum et cuborum appellari solent, senarium ut latus numeri αὐξήσεων significaturum fuisset, hic autem unum ex illis lateribus significandum esset, quae tria cuique cubo subsunt. Atque haud scio an unum πυθμένος nomen ex omnibus Graecae linguae nominibus huic rei conveniret. Quaternarium igitur copulari cum quinario iubent verba πεμπάδι συζυγείς, unde prodit novenarius. Nam σύζευξις seu συζυγία est συνδυασμός. Et mirum foret, ni novenario, uni ex omnibus excellentissimo, in his numeris locus esset. Hic vero duas harmonias praebere dicitur ter auctus:

δύο ἁρμονίας παρέχεται (ita scribendum cum Bekkero; παρέχηται, quod vulgatum erat, ferri non potest) τρὶς αὐξηθείς. quorum sensus hic est, quadratum novenarii unam, cubum alteram harmoniam praebere. Harmonia autem uno numero contineri nequit. Quare et quadrato et cubo apponendus alter est, cui collatus utervis suam harmoniam praebeat; quem quum Plato non significaverit, dubium non est, quin adhuc tractatum et descriptum numerum 216 intellectum voluerit, qui cum quadrato novenarii unam, alteram cum cubo eiusdem harmoniam efficiat. Sed priusquam ea de re disputemus, consideranda nobis et explicanda sunt verba, quibus ipsas harmonias definivit, quae ita comparata sunt, ut nihil minus, quam novenarii quadratum et cubum significare videantur. Si quidem priorem, ἴσην ἰσάκις, hoc est in numero quadrato positam, ait esse ἑκατὸν τοσαυτάκις. (nam nihili faciendum est codicis Regii ἕκαστον τοσ.) quod si centum centies est, quadratus est non novenarii, sed centenarii, et ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγεὶς hunc ipsum centenarium, altera autem harmonia, ut tertio eius incremento producta, millies millenarium significabit. Atque sic Barocium statuere vidimus. Sed quoniam verba ἑκατὸν δὲ κύβων τριάδος eiusmodi interpretationem respuunt, experiamur, an servata et horum verborum genuina significatione, et reliquorum interpretatione ea, quam recte et acute instituisse Barocius videtur, talem totius loci sensum efficere valeamus, qualem esse debere posuimus. Et primum ostendere conabimur alteram harmoniam cubo novenarii contineri, quo probato priorem eiusdem quadratum esse facilius nobis concedetur, etiamsi in explicanda ratione, qua ea significata sit, fortasse non omnibus satisfecerimus. Ordiendum autem a verbis ἰσομήκη μὲν, τῇ προμήκει δὲ, quae Barocius non intellexit, de quibus sic statuendum est, arcte ea cohaerere et alteram harmoniam, hoc est cubum, significare tam recondite, quam aperte priorem, hoc est quadratum, significant verba ἴσην ἰσάκις. Nam dativus τῇ προμήκει pendet ab ἴσος, quod inest in ἰσομήκει, et referendus est ad priorem harmoniam, quae quum antea ἴση ἰσάκις dicta ideoque ut aequilatera cogitata esset, nunc προμήκης dicitur et tamquam numerus ex duobus plus quam monade differentibus inter se lateribus (nam is dicitur προμήκης) productus cogitatur, eique sic cogitatae ἰσομήκης esse dicitur harmonia altera. Numerus autem aequilaterus seu quadratus quum aliis modis προμήκης reddi potest, tum ita, si laterum, quibus constat paribus, alterum tamquam numerus et ipse quadratus, cui et ipsi duo paria latera subsint, cogitatur et horum minorum altero alterum maiorum laterum multiplicatur. Quo effectus numerus si rursus multiplicatur altero, quod reliquum est, duorum minorum laterum, fieri non potest, quin producatur numerus idem, qui ex maioribus lateribus duobus producitur, latera autem plus quam monade inter se differant. Porro si horum inaequalium laterum maius per semet ipsum multiplicatur, numerus quadratus prodeat necesse est, qui par sit cubo eiusdem numeri, cuius quadratus est προμήκης red-

dicitur. Nam latus illud constat ex latere altero minorum, quae duo subsunt radici, et ipsa radice. Quare dum per semet ipsum multiplicatur, non solum latus minus in radicem, radix in quadratum excrescit, sed multiplicatur etiam radix per quadratum, atque hoc est cubum producere. Exemplo sit numerus 16, quadratus quaternarii, quem προμήκη redditurus quaternarium alterum ex duobus, qui latera eius sunt, cogites ut ex duobus binariis productum. Iam si alterum eorum binariorum multiplicaveris per alterum quaternariorum, alterum autem per eum, qui ex hac ipsa multiplicatione prodiit, octonarium, haud dubie eundem numerum 16, sed προμήκη, productum habebis. Octonario autem per semet ipsum multiplicato efficietur cubus quaternarii. Atque eadem ratione omnes cubi sunt quadrati lateris maioris e duobus, quae supra monstrata via producunt numerum quadrato parem, sed προμήκη; id est, omnes cubi sunt eiusdem longitudinis atque quadrati ex lateribus cubicis producti, ubi hi quadrati monstrata ratione προμήκεις redditi cogitantur. Itaque quum dicitur altera harmonia ἰσομήκης μὲν, τῇ προμήκει δέ, cubus esse significatur non secus ac prior ἴση ἰσάκις dicta quadratus esse ostenditur. Sic procul remotis ab hoc loco emendatricibus manibus illud quoque assecuti sumus, ut sequentem numeri eius, qui alteram harmoniam continet, descriptionem solam per se considerandam, et proxima illa ἰσομήκη μὲν, τῇ προμήκει δέ non ita cum sequentibus coniungenda esse videamus, ut quicunque sit alterius harmoniae numerus, eum sub specie προμήκους expositum praesignificent, qua opinione seductus Barocius ἀριθμοὺς, qui deinceps nominantur, ἀπὸ διαμέτρων oriundos pro longitudine, numerum autem centenarium pro latitudine harmoniae ipsius, tamquam numero προμήκει inclusae, accepit; cui rationi etiam artam membrorum διακὸν μὲν ἀριθμῶν — διακόν δὲ κύβων iuncturam obstare supra monuimus. Ea enim talis est, ut totum numerum alterius harmoniae duobus numeris compositum esse declaret, quorum maior utique longitudinis, minor latitudinis nomine appellari, totusque compositus προμήκης dici poterit, tantum ne verbis τῇ προμήκει δὲ haec eius προμήκεια praemonstrata existimetur. Sed in investiganda longitudine et latitudine ab ordine Platonis recedere cogimur eo, quod, qui priorem locum obtinent, διακὸν ἀριθμοὶ ita comparati sunt, quod postea magis intelligetur, ut, nisi extrinsecus auxilium accesserit, summa eorum definiri nequeat. Exponamus igitur primum latus alterum certis verbis indicatum, centum cuborum ternarii, hoc est numerum bis mille septingentorum. Qui si re vera latus est eius numeri, quem nos alteri harmoniae tribuimus, septingentorum undetriginta, facile intelligitur, bis mille septingenta hoc loco non integrum numerum esse, quippe maiorem illo, cuius latus esse dicitur, sed integri cognominem particulam, Graece ὁμώνυμον μόριον nuncupatam: $\frac{1}{2700}$. Quam ὁμωνυμίαν Plato de industria, ut numerum suum Musae involucris quibusdam tegerent vulgique oculis subducerent, in συναναμίαν detorquens pro bis millesimo

septingentesimo bis mille septingenta dixit, neque id temere aut ita, ut intelligi a nemine posset. Nam litterarum quidem notas easdem integri numeri atque cognomines eorum particulae habebant, nec differebant nisi eo, quod particularum notis acutus, integrorum transversa linea superimponebatur, quo fiebat, ut β,ψ utrumque, $\overline{\beta,\psi}$ integrum 2700, β,ψ' particulam $\frac{1}{2700}$ significaret. Ea de re legendus est Friedericus a Drieberg in libro inscripto: *Die Arithmetik der Griechen*, parte prima, p. 72. cuius viri praestantissimi opera effectum est, ut nobis non necesse sit ea quae de particulis cognominibus diximus, ipsis Graecorum auctorum verbis confirmare; ille enim et locos eorum significavit et rem perspicue et acute, ut solet, exposuit. Inspiciamus igitur alterum latus ἑκατὸν ἀριθμῶν ἀπὸ διαμέτρων, et videamus, an numerus, qui particula bis millesima septingentesima multiplicatus cubum novenarii producit, dici possit esse ἑκατὸν ἀριθμῶν ἀπὸ διαμέτρων ῥητῶν πεμπάδος δεομένων ἑνὸς ἑκάστων, ἀῤῥήτων δὲ δυεῖν. Atque hoc loco maxima gratia debetur Barocio, qui primus verborum obscurissimorum sensum perspexit et aperuit, quibus non intellectis interpretes fieri non poterat ut verae totius numeri Platonici interpretationis cursum tenerent. Itaque alii alio delati sunt, Barocius autem, quamquam ne ipse quidem portum cepit, quum in aliis partibus offendisset, hunc quidem scopulum superavit felicissime. Neque vero laude sua carere patiamur Iacobum Fabrum Stapulensem, cuius opera inprimis adiutum sese Barocius professus est. Ex horum igitur duumvirorum laboribus nos haec colligimus, diversa paullulum ab iis, quae collegerunt ipsi, numerum a diametris hoc loco eum esse, qui constet quadratis diametri, non quo ipsae diametri sint numeri quadrati, sed quod praepositio ἀπὸ eam vim habet, ut progressum et dilatationem a latere in quadratum significet. Sic Socrates in *Menone* Platonis, ut uno duntaxat exemplo res minime obscura illustretur, p. 83. B. *Steph.* ἀπὸ τῆς διπλασίας, inquit, οὐ διπλάσιον, ἀλλὰ τετραπλάσιον γίγνεται χωρίον. Itaque ἀριθμὸς ἀπὸ διαμέτρου est numerus diametri quadratus, ab ipsa diametro profectus. Numerus autem a diametris alius esse hoc loco nequit, nisi ab una diametro, sed pluries ea posita profectus seu pluribus unius diametri quadratis constans. Nam quominus latus numeri ἀπὸ διαμέτρων pluribus iisque diversis diametris constare putemus, obstat additum πεμπάδος (ita Bekkerus pro vulgato πεμπάδων, quod tamen ferri posset) quod unam diametrum indicat. Neque illud, quod verba permittunt, ut latus eius significari existimetur pluribus diametris quinarii vel additis inter se vel multiplicatis constare, per addita ἀῤῥήτων δὲ δυεῖν fieri licet. Quibus enim machinis ineffabiles diametri duae addi ad effabiles aliquot possint, ut certi cuiusdam numeri latus ex earum summa oriatur? Quadratos vero ineffabilium diametrorum cum effabilium quadratis coniungi nihil vetat. Itaque numerus a diametris effabilibus quinarii duabusque ineffabilibus eadem, qua alia in superioribus, obscuritate haudquaquam inexplica-

bili dictus est numerus, qui constet quadratis aliquot diametri effabilis quinarii et duobus quadratis ineffabilis alicuius diametri: *ἀριθμὸς ἀπὸ διαμέτρων* pro *ἀριθμὸς ἐξ ἀριθμῶν ἀπὸ διαμέτρου*. Id magis etiam perspicitur ex verbis *δεομένων ἑνὸς ἑκάστων*, quae nisi de quadratis diametri dicta esse nequeunt. Nam sicut in figuris ea diameter est, cuius quadratum par sit quadratis lateris utriusque, ita in numeris, cuius quadratus duplex sit quadrati alius numeri, diameter eius numeri est. Sed quoniam nullus est numerus quadratus, qui duplex sit quadrati alius, diametri nomen arithmetici ad numeros translaturi iis numeris indidere, quorum quadrati non amplius monade differrent a duplicatis quadratis. Itaque septenarius, cuius quadratus undequinquagenarius a quinquagenario, qui duplus est quadrati e quinario prodeuntis, non amplius monade differt, diameter quinarii effabilis est, quum ipsa quinarii diameter ineffabilis sit. Sed ineffabiles diametros eorum numerorum dicebant, quorum duplicati quadrati, etiamsi augerentur vel minuerentur monade, latus tamen haberent ineffabile, velut ternarii, cuius duplicatum quadratum etiamsi monade imminueris, nihilo minus ineffabile latus manebit. Idem de quaternario dicendum, cuius duplicato quadrato qui addiderit monadem, nihilo magis effabili latere praeditum habebit numerum. Itaque et ternarii et quaternarii diameter ineffabilis est, quoniam neque detracta in impari neque addita in pari monade efficitur, ut numerus, qui ipsorum quadrati duplus est, latus ostendat effabile. Quinarii autem, in quo detracta monade illud efficitur, diameter est effabilis. Quae quum ita sint, dubitari non licet, quin verba *δεομένων ἑνὸς ἑκάστων* non ad diametrum quinarii, sed ad eius diametri quadratum referenda sint, qui quum re vera sit quinquagenarius, ablata tamen monade undequinquagenarius statuitur. Quibus omnibus efficitur, numeros illos centum *ἀπὸ διαμέτρων* singulos constare aliquot undequinquagenariis et duobus praeterea quadratis ineffabile latus habentibus. Sed quum significatum nusquam sit, quot ii undequinquagenariis nec quibus duobus a diametro ineffabili profectis numeris constent, ipsi inveniri non poterunt, quod supra monueramus, nisi extrinsecus auxilium accesserit. Id igitur petendum est ab altero latere, quod centum cubis ternarii, hoc est bismillesima septingentesima particula constat. Hanc autem, si produxeris eum, quem nos significari putamus numerum, cubum novenarii veluti, multiplicare per 1968300 seu per centum numeros 19683 debebis. Quorum si singulos constare inveneris aliquot undequinquagenariis et duobus praeterea quadratis ineffabile latus habentibus, nostram rationem quoque constare fateberis. Constat autem numerus 19683 quadringentis et uno undequinquagenariis et duobus septendenariis seu quadratis diametri ternarii, quae primum inter ineffabiles locum obtinet. Atque hoc ipsum probabiliorem rationem nostram, quam Barocianam esse contendimus, quod et unam nos et primam ineffabilem diametrum adhibuimus, illius numero duae nec ipsae satis certae conveniunt. Iam ergo alterius harmoniae numero 729, non aliter verbis expresso, quam hodie scriptura

huiusmodi $\frac{1928309}{2700}$, revertamur ad priorem ἴσην ἰσάκις, ἑκατὸν τοσαυτάκις dictam; quibus verbis novenarii quadratum significari ex iis, quae adhuc disputavimus, tam veri simile factum putamus, ut pro vero habendum sit, si ratio aliqua inveniatur, qua possit verbis illis significatus videri. Ac succurrit quidem Barocius non inepte excogitata ratione suum quadratum duodenarii alio item quadrato, sed centenarii, repraesentatum eoque sub velo absconditum ferens, quod idem nobis de nostro quadrato affirmare liceat. Verum quam Plato non solum fallendi causa scriberet, sed a prudentibus legi vellet et intelligi, Barocii inventum sufficere non putamus, sed orationem hic quoque talem quaerimus, quae et vulgus fallere et satisfacere intelligentibus posset. His vero non erat, cur aut diserte diceretur aut declararetur exemplo, quis esset numerus ἴσος ἰσάκις, ab ipsis scilicet facile intelligendus, dummodo nossent latus, quod πυθμένος vim assecuti ignorare non poterant. Iidem alterius harmoniae definitione moniti etiam hic reconditam quandam et a vulgari loquendi computandique consuetudine diversam rationem suspicari debebant. Eandem igitur viam ineuntes, qua in isto centenariorum pari cubum novenarii deprehendissent, eiusdem quadratum in verbis ἴσην ἰσάκις ἑκατὸν τοσαυτάκις agnituri erant, si ἴσην ἰσάκις pro ἐννέα ἐννεάκις acciperent eique numero prius ἑκατὸν ita iungerent, ut efficeretur ἐνκαιεγδοηκοντάκις ἑκατόν, denique hunc numerum per alterum ἑκατὸν in τοσαυτάκις latentem sed eum in ὁμώνυμον μόριον mutatum multiplicarent eodem modo, quo in posteriori harmonia centum cubos ternarii per centum numeros a diametris multiplicandos esse vidimus. Quibus ita institutis numerum quadratum novenarii ($\frac{8100}{100}$) effici necesse est. Quod autem centenarium potius, quam denarium aliumve minorem numerum assumsit, eo consilio videtur fecisse, ut omnia amplius et magnificentius sonarent, eundemque ad alteram harmoniam significandam adhibuit, quo magis utraque similitudinis cuiusdam et quasi cognationis specie falleret, quemadmodum fefellit Barocium et alios. His explicatis superest, ut qua ratione numeri 81 et 729 harmoniae sint doceamus. Harmoniam constat esse sonorum intervallo separatorum concentum seu consonantiam. Intervallum autem, quum duo terminos requirat, uno numero contineri nequit. Vbi igitur duae harmoniae duobus numeris contineri dicuntur, ibi necesse est tertium accedere, qui cum utrovis compositus utramvis harmoniam efficiat. Hunc tertium numerum hoc loco esse 216 supra demonstravimus. Qui si cum 81 compositus unam, cum 729 alteram harmoniam praebet, et ipsum et reliquos duos a Platone significatos esse probabile est, praesertim si harmoniae non ex numero vulgarium sint; nam insolitis verbis res quoque novas subesse consentaneum et Platone dignum est. Atqui tales illae sunt. Intervallo enim numerorum 216 et 81 sive octonarii et ternarii continetur harmonia διὰ πασῶν καὶ διὰ τεσσάρων, quam nostri musici undecimam vocant. Eam Pythagorei antiquiores dissonare dixerant praeterea, quod ratio octonarii

et ternarii neque multiplex esset neque superparticularis, sed superpartiens. Qua de re consulendus est Driebergius supra laudatus in libello: *die mathematische Intervallenlehre der Griechen*, p. 11. Sed aurium iudicio comprobata, quamvis numerorum ratione diversa, fortasse hic primum inter harmonias recepta est, quem locum postea obtinuit. Altera similiter comparata dissimilem eventum habuit. Numeri enim 729 et 216 seu 27 et 8 finiunt intervallum, quod Graecis musicis διὰ πασῶν καὶ τετρακόντῳ καὶ ἡμιολίῳ appellatum paritèr atque simplex dissonum semper visum, hodie octava cum sexta dictum consonum statuitur. Conferatur Driebergius libro proxime laudato p. 6. et 5. Has igitur harmonias praebet novenarius ter auctus cum periodorum numero compositus. Atque huic periodorum numero significando et definiendo quum reliqua, tum harmoniae inservire, et omnia ad unum illum fatalem optimae reipublicae declarandum dicta viderentur, si ea, quae sequuntur, sic fere haberent: *οὗτος οὖν ὁ ἀριθμὸς τοιούτων νύμφιος*. At sequuntur haec: *ξύμπας δὲ οὗτος ἀριθμὸς γαμετροικὸς τοιούτου νύμφιος*. In his et particula δὲ continuari neodum absolutam esse, sed nunc demum absolvi numeri fatalis descriptionem ostendit, et adiectiva *ξύμπας οὗτος* singulos adhuc definitos numeros pro partibus maioris cuiusdam haberi et in unum coniungi iubent. Itaque duo numeros descriptos habemus, alterum periodorum, alterum fatalem ipsum compositum ex priore aliisque commemoratis in unum coniungendis, qua de re quid nobis omnino videretur, in superiotibus dictum est. Hic vero novae quaestiones oriuntur duae: una, qualis ea coniunctio sit, altera, qui potissimum numeri coniungi debeant. Priorem solvit additum nomen *γαμετροικός*, non additione, sed multiplicatione coniunctionem efficiendam docens. Ea enim quum universae geometriae, circa *ἐπίπεδα*, quibus in numeris respondent multiplicatione producti, versantis, tum progressionum et proportionum geometricarum natura est, quae multiplicatione nituntur. Neque aliter eo nomine usus est Aristides Quintilianus *de Musica* Lib. III. p. 122. ed. *Meibom.* quo loco septenarium *ἀγωγίαν* vocari tradit: *μόνος γὰρ τῶν ἐντὸς δεκάδος οὔτε γεννᾶται γαμετροικῶς ὑφ' ἑτέρων οὐθ' ἕτερον γεννᾷ*. Contra, quae addendo fit coniunctionem *ἀριθμητικὴν* dicit p. 151. de triangulo rectangulo disputans: *τοῦ δὲ τοιούτου τριγώνου, συνεστῶτος ἐκ τριῶν καὶ τεσσάρων καὶ πέντε, εἰ τὰς πλευρὰς ἀριθμητικῶς συνθείημεν, ἡ τῶν δώδεκα πληροῦται πεσσάντης*. Atque hanc potissimum ob causam cubos periodorum auctores multiplicandos supra statuimus. Sed utrum omnes praeter numerum periodicum commemoratos, an duos tantum harmoniarum numeros per semet ipsos et per periodicum multiplicatos fatalem numerum rei publicae producere existimemus? Dicam quod sentio. Consulto mihi Plato eam rem indefinitam reliquisse videtur, et in eo potissimum *ἀσοφηλίαν* Musarum agnosco laudificaturam eos, qui divinas leges eventuum humanorum apprime ab hominibus intelligi numerisque certis definiri posse autumarent. Aliter eum de periodis rerum humа-

narum semisse puto, quae experientia dicturus et observandis civitatum conversionibus cum aliqua probabilitatis specie, ut naturae magis rerum, quam humano arbitrio subiectae, constitui et definiri posse viderentur. Itaque tempus, quo mutatio ipsa eventura esset, significare simulat, re vera non significat; periodorum ambitum certo numero finit, sed diffidens sagacitati humanae eum numerum non plane enumerat, sed velut vaticinans tenebris operit. Sed uberius eam rem persequi ab nostro consilio alienum est, et haec ipsa sufficere puto ad iudicium de iis, qui locum Platonicum seria disputatione dignum non esse iudicant. Admirabilis quidem verborum in summa brevitate amplitudo et egregio artificio effecta in obscuritate perspicuitas animadverti ab iis non poterat, quum verba non intelligerent.

Nunc explorata Barocii, nostra exposita sententia de Aristotele aliisque veteribus superest ut dicamus, qui quidem eundem numerum a Platone significatum existimasse videantur, quo nos periodos rerum humanarum ab eo definitas esse statuimus. Atque hunc periodicum numerum iidem et nescio an omnes eundem fatalem rerum publicarum habuerunt, sive quod alterum erui non posse intelligerent, quae nostra opinio est, sive quod eum, qui initio dicitur *ἐν ᾧ πρώτῳ αὐξήσεως*, non diversum putarent ab eo, qui in fine est *ξύμπας οὗτος ἀριθμὸς γεωμετρικός*. Aristoteles autem in utra sententia fuerit, anceps iudicium est propter verborum, quibus utitur, brevitatem, in qua tamen perspici potest, quid de periodico senserit, quem deficiente altero fatalem Platonis numerum dicere liceat. Verba Aristotelis sunt in *Politicorum* libro quinto cap. X. p. 236. ed. *Schneider*. *Ἐν δὲ τῇ τοῦ Πλάτωνος πολιτείᾳ λέγεται μὲν περὶ τῶν μεταβολῶν ὑπὸ τοῦ Σωκράτους, οὐ μέντοι λέγεται καλῶς. τῆς τε γὰρ ἀρίστης πολιτείας καὶ πρώτης οὔσης οὐ λέγει τὴν μεταβολὴν ἰδίως. φησὶ γὰρ εἶκὸς εἶναι τὸ μὴ μένειν μηθὲν, ἀλλ' ἔν τινι περιόδῳ μεταβάλλειν· ἀρχὴν δ' εἶναι τούτων, ὧν ἐπίτριτος συθμὴν πεμπάδι συζυγεὶς δύο ἁρμονίας παρέχεται, λέγων ὅταν ὁ τοῦ διαγράμματος ἀριθμὸς τούτου γένηται στερεός· ὡς τῆς φύσεως ποτε φυούσης φαύλους καὶ πρεέττους τῆς παιδείας· τοῦτο μὲν οὖν αὐτὸ λέγων ἴσως οὐ πιθανῶς· ἐνδέχεται γὰρ εἶναί τινας, οὓς καὶ γενέσθαι σπουδαίους ἄνδρας ἀδύνατον. ἀλλ' αὕτη τί ἂν ἴδιος εἴη μεταβολὴ τῆς ὑπ' ἐκείνου λεγομένης ἀρίστης πολιτείας μᾶλλον, ἢ τῶν ἄλλων πασῶν καὶ τῶν γιγνομένων πάντων;* Ex quibus quae ad numerum Platonis ipsum spectant perpauca neque ea satis intellecta sunt. Nam primum τούτων ante ὧν, quod Barocius ad res commutandas seu, ut eius verbis utar, generabiles et corruptibiles refert, ἀρχὴν principium mutationis interpretatus, alii ad ipsas *μεταβολὰς* retulerunt verbo *μεταβάλλειν* significatas, et ad ὧν addiderunt *τοῦτα*. Neutri recte. τούτων ad ὧν pertinet, et sensus verborum talis est: Principium mutationis positum esse in numeris (Plato *αὐξήσεως* dixerat) quorum exponentia radix etc. Deinde verba *λέγων ὅταν* declarant tempus, quo Plato initium mutationis posuerit, minime vero, quod Barocius voluit,

conditionem et rationem, qua sesquitertia radix quinario iuncta duas harmonias praebeat, quam rationem ab ipso Platone verbis πρὸς αὔξησιν sat perspicue monstratam ineptus fuisset Aristoteles, si omnino declarandam aut tali modo interpretandam duxisset. Denique τὸ διάγραμμα τοῦτο est ipsa illa figura geometrica, quam numeri periodici ex tribus cubis compositi radices constituunt, ubi pro numeris ternario, quaternario et quinario lineae tres eiusdem magnitudinis in triangulum coierint. Barocius hic nescio quod magnum diagramma Platonis somniat, cuius etiam formam delineavit, quod numeros omnium generum, quae in oratione Musarum commemorari interpretibus visa sunt, perfectos, superantes, superatos, abundantes, diminutos, similes, dissimiles cum utrorumque longitudinibus et latitudinibus, aequilateros, quadratos, solidos, sphaerales, diametrales, mares et feminas ad denarium usque exhibet, in cuius fine positus est numerus 1728. Tunc igitur harmonias duas existere, quum Geometricus numerus in fine magni diagrammatis Platonis descriptas efficiatur solidas, id est, completus formatusque fuerit solidus et Cubus. Id vero est unum. Τοῦτον dicit Aristoteles, quod ἐπίτριτος ἀριθμὸν, cuius mentionem fecerat, unus de tribus numeris diagrammatis eiusque basis est. Quod si minus breviter loqui vellet, diceret τοῦ διαγράμματος τοῦ ἀριθμοῦ τούτου. Atque erunt fortasse, quibus etiam interpositum ἀριθμὸς displiceat et τούτου ad ἀριθμόν referendum videatur, a quibus equidem dissentiam. Neque opus est, quum sententia verborum haec eadem sit: Platonem causam atque initium mutationis numero tribuere, cuius sesquitertia radix quinario iuncta duas harmonias praebeat, quibus verbis significari eum, qui prodeat tam, quum figurae, cuius pars sit illa radix, solidus seu cubus factus sit numerus. Cuius sententiae cum explicatione nostra consensus cernitur primum eo, quod αὐξήσεις illas cubicas esse declarat, dum ea, quorum sit ἐπίτριτος ἀριθμὸν, quae ipsae αὐξήσεις Platonis sunt, per στερεόωσιν fieri dicit; deinde quod easdem αὐξήσεις, hoc est, numerum per eas productum, tribus minoribus constare agnoscit; nam cui numero ἐπίτριτον ἀριθμόν tribuat Plato, eum produci per στερεόωσιν numeri figurae cuiusdam; quam figuram, si quidem eius laterum unum sesquitertium sit, omnium autem στερεοποιόντων summa cubum efficiat, tribus constare lateribus necesse est. Et numerus per talis figurae στερεόωσιν productus necessario velut tribus cubis compositus tribusque quasi radicibus enatus cogitatur. Sed haec brevitate Aristoteles fecit, ut falsa opinio de numero Platonis oriretur, quae plerosque tenuit et a vera interpretatione seduxit. Nam quum intelligerent diagramma ab Aristotele significatum triangulum rectangulum esse tribus lateribus 8, 4, 5 compositum, eiusque diagrammatis viderent numerum dici solidum factum, colligendam laterum summam rati duodenarium numerum figurae, indeque numerum 1728 fatalem Platonis ab ipso Aristotele declaratum putarunt, non cogitantes illi, collecta laterum summa numerum effici non trianguli illius, sed aut lineae aut

piani duplo maioris triangulo, Aristotelem igitur trianguli numerum solidum factum quum dicat, aut trium laterum unumquodque singillatim aut numerum omnium, quae superficiei magnitudo est, solidum factum dicere, utrumvis autem esse 216. Atque haec quidem de Aristotele sufficiant.

Coniungendus ei est Nicomachus Gerasenus, qui *Institutionis Arithmeticae* libro secundo, cap. 24. p. 143. ed. *Ast.* de analogia geometrica disputans eius natura explicata haec addit: *Εὐκαιρότατον δ' ἂν εἴη ἐνταῦθα γενομένους ἐπιμνησθῆναι παρακολουθήματος χρησιμεύοντος ἡμῖν εἰς Πλατωνικόν τι θεώρημα. Οἱ μὲν ἐπίπεδοι μιᾷ μεσότητι συνέχονται πάντως, οἱ δὲ στερεοὶ δυσὶν ἀνάλογον κειμέναις. δύο γὰρ τετραγώνων συνεχῶν εἷς μόνος εὑρίσκεται μέσος, ἀναλογίαν σώζων γεωμετρικὴν, πρόλογος μὲν πρὸς τὸν ἐλάττονα, ὑπόλογος δὲ πρὸς τὸν μείζονα, οὐδέποτε δὲ πλείονες. Δύο ἄρα διαστήματα θεωροῦμεν πρὸς ἑκάτερον τῶν ἄκρων αὐτοῦ τοῦ μέσου ἐν σχέσει λόγων ὁμοίων. Πάλιν δὲ δύο κύβων συνεχῶν δύο μόνοι εὑρίσκονται ἀνάλογον μέσοι ὅροι κατὰ τὴν γεωμετρικὴν ἀναλογίαν, πλείονες δὲ οὐδέποτε. Τρία ἄρα διαστήματα, ἓν μὲν τὸ μεταξὺ τῶν μέσων πρὸς ἀλλήλους, δύο δὲ τὰ μεταξὺ τῶν ἄκρων πρὸς τοὺς μέσους ἑκατέρωθεν. Οὕτω τὰ μὲν στερεὰ σχήματα λέγεται τριχῇ διάστατα, τὰ δὲ ἐπίπεδα διχῇ, οἷον ὁ $\overline{\alpha}$ καὶ ὁ $\overline{\delta}$ ἐπίπεδοι, μέσος δὲ ἀνάλογον ὁ $\overline{\beta}$· ἢ οἷον ὁ $\overline{\delta}$ καὶ ὁ $\overline{\theta}$, δύο τετράγωνοι, μέσος δὲ αὐτῶν ἀνάλογον ὁ $\overline{\sigma\tau}$, ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ ὄγδοος ὑπὸ τοῦ μείζονος καὶ ἔχων τὸν ἐλάττονα, ἐν ᾧ καὶ διαφορὰ διαφορὰν ἔχει. Τούτου δ' αἴτιον, ὅτι αἱ τῶν δύο τετραγώνων πλευραὶ, ἑκατέρου μία ἰδία, αὐτὸν τὸν $\overline{\sigma\tau}$ ἅμα ἀμφότεραι ἐγέννησαν. Ἐν δὲ κύβοις, οἷον τῷ $\overline{\eta}$ καὶ τῷ $\overline{\kappa\zeta}$, μία μὲν οὐκέτι, δύο δὲ μεσότητες εὑρίσκονται, ὅ τε $\overline{\iota\beta}$ καὶ ὁ $\overline{\iota\eta}$, ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ ἑαυτάς τε καὶ τοὺς ὅρους ποιοῦσαι, ἐν ᾧ καὶ αἱ διαφοραὶ αὐτῶν πρὸς ἀλλήλας εἰσί. καὶ τούτου δ' αἴτιον τὸ τῶν κυβικῶν πλευρῶν μίγδην σύστημα εἶναι τὰς δύο μεσότητας, δὶς δύο τρὶς καὶ τρὶς τρία δίς. Ἐὰν μὲν οὖν καθόλου τετράγωνος τετράγωνον λάβῃ, τουτέστι πολυπλασιάσῃ, τετράγωνον πάντως ποιεῖ· ἐὰν δὲ τετράγωνος ἑτερομήκη ἢ ἑτερομήκης τετράγωνον, οὐδέποτε τετράγωνος ἀποτελεῖται· κἂν κύβος κύβον, πάντως κύβος γενήσεται· ἐὰν δὲ ἑτερομήκης κύβον ἢ κύβος ἑτερομήκη, οὐδέποτε κύβος. καθάπερ ἀμέλει ἂν ἄρτιος ἄρτιον πολυπλασιάσῃ, πάντως ἄρτιος γεννᾶται, κἂν περισσὸς περισσὸν, πάντως περισσός· ἂν δὲ περισσὸς ἄρτιον ἢ ἄρτιος περισσὸν, πάντως ὁ γινόμενος ἔσται ἄρτιος, οὐδέποτε δὲ περισσός. Ταῦτα δὲ τῆς οἰκείας σαφηνείας ἐπιλήψεται ἐν τῇ Πλατωνικῇ συναναγνώσει κατὰ τὸν τοῦ λεγομένου γάμου τόπον ἐν τῇ Πολιτείᾳ ἀπὸ προσώπου τῶν Μουσῶν παρεισαγομένου.* Hic quoque, ut Aristoteles, numeri Platonici quasi sedem in iis verbis, quae *αὐξήσεις* illas describunt, agnovit; et quae ab eo desiderantur, qui ὅροι inter cubos interpositi commemorantur,

quae de cuborum duorum multiplicatione ex eaque necessario producendo novo cubo affert, quae omnia utilia dicit ad numerum Platonis inveniendum, ea ita sunt comparata, ut ad amussim respondeant interpretationi nostrae. Quid quod ipsos cubos nostros, 8 et 27, ipsosque medios eorum terminos, 12 et 18, nominat? Neque illud praetereundum, quod verbo *λαβεῖν* utitur pro *πολυπλασιάσαι* atque hoc ipsum explicationis causa addit. Respexisse enim videtur ad illa Platonis *τέτταρας δὲ ὅρους λαβοῦσαι*, quamquam hoc loco non ea vi praeditum esse vel additae *ἀποστάσεις* ostendunt. Sed suspicari licet Nicomachum duo numeros a Platone significatos statuisse. Quo magis dolendum est ipsam eius interpretationem loci Platonici hodie nusquam inveniri vel potius editam ab eo nunquam fuisse.

Tertius Plutarchus est, cuius locum a Camerario indicatum Schneiderus, vir doctissimus, in Commentario ad locum Aristotelium p. 360. apposuit, ex libro *de Iside et Osiride* T. II. p. 373. E. *Francof.* (p. 181. *Hutten.*) *Λέγεται δὲ ἄν τις εἰκάσειε τῶν τριγώνων ὃ* (Steph. vitiose *τὸ*) *κάλλιστον, τούτῳ τὴν τοῦ παντὸς φύσιν ὁμοιοῦντας· ᾧ καὶ Πλάτων ἐν τῇ Πολιτείᾳ δοκεῖ προσκεχρῆσθαι, τὸ γαμήλιον διάγραμμα συντάττων. ἔχει δ' ἐκεῖνο τὸ τρίγωνον τριῶν τὴν πρὸς ὀρθὰς καὶ τεττάρων τὴν βάσιν καὶ πέντε τὴν ὑποτείνουσαν, ἴσον ταῖς περιεχούσαις δυναμένην. Ἑκαστέου οὖν τὴν μὲν πρὸς ὀρθὰς ἄρρενι, τὴν δὲ βάσιν θηλείᾳ, τὴν δὲ ὑποτείνουσαν ἀμφοῖν ἑκάτερῳ.* In his etsi erroris, qui deinde universam arithmeticam Platonis interpretationem pervertit, vestigia agnosco, illud tamen nondum invenio, quod Camerarius ait, Plutarcho videri numerum duodenarium propositum esse a Platone, sed concilliari eius verba cum vera numeri expositione posse existimo. Alter autem Plutarchi locus, *de Procreatione animae Platonica*, p. 1017. C. (p. 298. *Hutten.*) a Boeckhio quoque citatus, quem Schneiderus uberiorem numeri Platonici declarationem habuisse statuit, quam ingens lacuna abstulerit, mihi quidem consilium Plutarchi reputanti, quantum ad nostrum locum spectet, integer omnino videtur. Neque ego ea, quae Plutarchus ibidem de harmonia in numero 35 ex Pythagoreorum doctrina protulit, ad nostras harmonias explicandas adhiberi velim, quippe quae omnia ad numeros animae in Timaeo referenda sint.

Similis Plutarcheo locus Procli est in *Commentario super primo Euclidis*, lib. IV. p. 111. ed. *Basil.* quem quoniam nihil a vera interpretatione Platonis abhorrens habet, non omittendum putavimus, quum praesertim ad comprobandum id, quod supra de diametris dictum est, nonnihil faciat. Verba haec sunt: *Διττῶν δὲ ὄντων τῶν ὀρθογωνίων τριγώνων, τῶν μὲν ἰσοσκελῶν, τῶν δὲ σκαληνῶν, ἐν μὲν τοῖς ἰσοσκέλεσιν οὐκ ἄν ποτε εὕροιμεν ἀριθμοὺς ἁρμόσαι ταῖς πλευραῖς. οὐ γάρ ἐστιν τετράγωνος ἀριθμὸς τετραγώνου διπλάσιος, εἰ μὴ λέγοι τις τὸν σύνεγγυς. ὁ γὰρ ἀπὸ τοῦ $\overline{ζ}$ τοῦ ἀπὸ τοῦ $\overline{ε}$ διπλάσιός ἐστιν ἀ δέοντος. ἐν δὲ τοῖς σκαληνοῖς ῥητοὺς λαβεῖν ἐναρ-*

γῶς ἡμῖν δείκνυται τὸ ἀπὸ τῆς ὑποτεινούσης τὴν ὀρθὴν ἴσον τοῖς ἀπὸ τῶν περὶ τὴν ὀρθήν. Τοσοῦτον γάρ ἐστι τὸ ἐν Πολιτείᾳ τρίγωνον, οὗ τὴν ὀρθὴν περιέχουσιν ὅ τε τρία καὶ ὁ τέσσαρα, ὑποτείνει δὲ αὐτὴν ὁ $\overline{\varepsilon}$· τὸ γοῦν ἀπὸ τοῦ $\overline{\varepsilon}$ τετράγωνον ἴσον ἐστὶν τοῖς ἀπ' ἐκείνων. τοῦτο μὲν γάρ ἐστιν εἰκοσιπέντε, τὰ ἀπ' ἐκείνων δὲ, τὸ μὲν ἀπὸ τοῦ $\overline{\gamma}$, $\overline{\theta}$, τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ $\overline{\delta}$ ἑκκαίδεκα.

Agmen claudat Aristides Quintilianus, quamquam dubitari potest, an is rectius ex hoc ordine removeatur. Nam eo loco, quo Platonis numerum attingit, de duodenarii virtutibus disputat interque alias eam recenset, quod par sit perimetro trianguli rectanguli. Huius deinde trianguli praestantiam enarrans haec dicit, *de Musica* libro tertio p. 152: ἀλλὰ καὶ τῶν τεσσάρων λόγων ἐστὶ τὸ σχῆμα δεκτικόν. ἡ μὲν γὰρ ἐκ τριῶν ἐνθεῖα διαιροῖτ' ἂν ἐς τὸν διπλασίῳ λόγον· ἡ δὲ ἐκ τεσσάρων εἰς τὸν ἴσον· ἡ δὲ ἐκ πέντε εἰς τὸν ἡμιόλιον. αἱ δὲ τὴν ὀρθὴν περιέχουσαι δηλοῦσι τὸν ἐπίτριτον. Τούτου δὴ καὶ Πλάτων φησὶν ἐπίτριτον πυθμένα πεντάδι συζυγέντα. Is igitur duodenario locum in numero Platonis videtur tribuisse. Sed verba ipsa, si separata a reliquis expendantur, non minus, quam Procli, probabilia sunt ideoque tamquam ultima veritatis evanescentis vestigia notanda hic videbantur.

COMMENTATIO POSTERIOR.

Quum ad iudicium de qualibet nova opinione faciendum utillissimum sit, quid alii eadem de re senserint, cognitum habere, mota nuper de numero Platonis quaestione et nova eius proposita solutione moveri simul necesse erat plenioris opinionum de eo diversarum notitiae desiderium. Quae quum et rarioribus ex libris neque ex his facillime petenda sit, non abusuri nobis hac altera eaque laetissima *) scribendi occasione videmur, si id, quod tunc ob angustiores illius scriptionis limites fieri non poterat, nunc facere instituamus telamque inceptam pertexamus. Quamvis longe enim pleraque eorum, quae relaturi sumus, ab nostra sententia recedunt, tamen rei propositae ea natura est, ut disputatio nondum ad finem perducta, sed undique verioris fortasse interpretationis materia quaerenda esse videatur. Neque si nihil omnino ad sensum Platonis investigandum adiuvent, continuo pro inutilibus abiicienda erunt. Sunt enim partim ingeniose excogitata ideoque digna, quae ab oblivione vindicentur, et laudabi-

*) Regis dies natalis celebrandus indicebatur. Priorem commentationem inter professores ordinarios locum capturi scripseramus.

lem industriam superioris aevi longissime ab hodierna nonnullorum levitate remotam ostendunt et in eiusmodi rebus versantur, quarum disciplina, quum ad intelligendos philosophos Graecos, inprimis Platonem, maxime conducat, hodie minime quaeritur. Nam quotusquisque est, qui veteres arithmeticos legat? In recensendis autem singulis ex duabus rationibus, quae poterant institui, ut aut summae sententiarum referrentur, aut ipsi sua oratione loquentes quasi in scenam producerentur, hanc, quod et tutior esset et ad docendum accommodatior, sequendam rati tamen, quoniam futurum erat, ut ne huius quidem scriptionis fines omnium omnia caperent verba, nonnullorum sententias ex fideli Francisci Barocii relatione summatim exhibuimus: reliquorum, quos Italus aut non vidit aut videre non potuit, omnia dedimus, passim correcta et a vitiis purgata, interdum etiam, ubi obscuriora essent, explicata; quibus locis parentheseos signis nostra ab alienis distinximus. Sed Platonis ipsius verba, quae leguntur *Civitatis* libro VIII. p. 546. *Steph.* praescribere supervacaneum videbatur, quod et omnibus aditus ad ea pateret, et in sequentibus aliquoties ponenda essent.

His praefationis loco dictis statim sublicimus Iamblichi Chalcidensis de numero Platonis sententiam, quam exposuit in libro *περὶ τῆς Νικομάχου ἀριθμητικῆς εἰσαγωγῆς*, edito a Tennulio Arnhemiae MDCLXVIII. eo capite, quod est *περὶ ἑτερομηκῶν ἀριθμῶν*, p. 115—117. *Ἐπεὶ οἱ μὲν τετράγωνοι δυνάμεις εἰσὶν ἰδίῳ τινῶν μήκει αὐξηθέντων ἀριθμῶν, ἑτερομήκεις δὲ οὐκ ἰδίῳ, ἀλλ' ἑτέρῳ, οὐκ ἀπεικότως ἑτερομήκεις ἐκλήθησαν, οὗ κατ' ἀντιδιαστολὴν τοὺς τετραγώνους οὐκ ἦν ἀπρεπὲς ἰδιομήκεις καλεῖν.* (haec conferenda sunt cum loco Nicomachi in *εἰσαγ.* lib. II. cap. 18. p. 132. ed. *Ast.* *οὐκοῦν ὅτι μὲν οἱ τετράγωνοι ὑπὸ τινῶν ἀριθμῶν τῷ ἰδίῳ μήκει μηκυνθέντων γίνονται, ταὐτὸν ἔχοντες τὸ πλάτος τῷ μήκει, ἰδιομήκεις ἂν κυρίως καὶ ταυτομήκεις λέγοιντο.*) *Οἱ δὲ παλαιοὶ ταυτούς τε καὶ ὁμοίους αὐτοὺς ἐκάλουν, διὰ τὴν περὶ τὰς πλευρὰς τε καὶ γωνίας ὁμοιότητα καὶ ἰσότητα, ἀνομοίους δὲ ἐκ τοῦ ἐναντίου καὶ θατέρους* (ita scribendum pro *θατέρου*, atque ita scriptum est in codice Cizensi.) *τοὺς ἑτερομήκεις. Ἐν δὲ τῇ ἐκθέσει ἑκατέρου εἴδους οἱ μὲν ἕνα παρ' ἕνα περισσοὶ καὶ ἄρτιοι γενήσονται, ὅτι οἱ τοιοῦτοι αὐτοὺς αὐξάνουσιν, οἱ δ' ἑτερομήκεις πάντες ἄρτιοι, ὅτι περισσὸς ἄρτιον, ἢ ἄρτιος περισσὸν μηκύνει, πᾶς δὲ περισσὸς κατ' ἄρτιον αὐξηθεὶς ἄρτιον γεννᾷ. Καὶ ἐπεὶ ἐνταῦθα λόγου ἐσμὲν, ἰστέον, ὅτι χρήσιμον ἡμῖν τοῦτο ἔσται τὸ παράδειγμα* (dicit *ἔκθεσιν ἑκατέρου εἴδους στιχηδὸν* faciendam, qualem paullo post a Bullialdo institutam videbis.) *εἰς τὸν ἐν τῇ Πλάτωνος Πολιτείᾳ γαμικὸν ἀριθμὸν, ἔνθα φησὶν ἐκ δύο ἀγαθῶν ἀγαθογονίαν πάντως ἔσεσθαι καὶ ἐκ δύο τῶν ἐναντίων τὸ ἐναντίον, ἐκ δὲ μικτῶν πάντως κακογονίαν, οὐδέποτε δὲ ἀγαθογονίαν. Καὶ γὰρ ἐκ μὲν τῆς τῶν περισσῶν καθ' ἑαυτοὺς συνόδου καὶ ἐπισυνθέσεως* (Tennulius malo *ἐπὶ συνθέσεως*) *ἡγουμένης μονάδος ἐγίνοντο τετράγωνοι τῇ τάγα-*

θεοῦ (vulgo τ' ἀγαθοῦ, sed videtur scribendum ταὐτοῦ.) φύσεως ὄντες ἀπὸ τοιούτων. αἰτία δὲ τούτου ἥ τε ἰσότης καὶ πρὸ ταύτης τὸ ἕν. Ἐκ δὲ τῆς τῶν ἀρτίων ὑγουμένης δυάδος ἑτερομήκεις τῆς ἐναντίας φύσεως ὄντες, διότιπερ καὶ οἱ γεννήσοντες. πάλιν δὲ αἰτία τούτου ἥ τε ἀνισότης καὶ πρὸ ταύτης ἡ ἀόριστος δυάς. καὶ εἰ πρᾶξις δὲ γένοιτο καὶ ἁδὰν εἶπόι τις γάμος ἀρτίου καὶ περισσοῦ, οἱ γεννώμενοι ἄγιοι καὶ τῆς θανάτου (ita cum Bullialdo scribendum pro τῆς καθ' ἑκατέρου) φύσεως, εἴ τε μονάδι διαφέροιεν οἱ γεννήτορες εἴ τε καὶ μείζονί τινι ἀριθμῷ. ἢ γὰρ ἑτερομήκεις ἢ προμήκεις οἱ ἀκουολούμενοι. (hoc loco notandum, quod differentiam inter ἑτερομήκεις et προμήκεις ἀριθμοὺς non solum Euclides, reprehensus propterea ab Iamblicho p. 105. sed ipse etiam Plato ignorat. Vide eius *Theaetetum*, p. 148. A.) Καὶ πάλιν ἐκ μὲν τετραγώνων ἀλλήλοις μιγέντων οἱ γινόμενοι τετράγωνοι, ἐκ δὲ ἑτερομηκῶν ὅμοιοι, ἐκ δὲ μικτῶν οὐδέποτε μὲν τετράγωνοι, πάντως δὲ ἑτερογενεῖς. Καὶ τοῦτό φησιν ὁ θειότατος Πλάτων παριδόντας (Tennalius παραδιδόντας, Bullialdus παῤαδιδούς) τοὺς τῆς πολιτείας αὐτοῦ ἄρχοντας καὶ ἀρχούσας διὰ τὸ μὴ τετράφθαι ἐν τοῖς μαθήμασι, ἢ εἰ καὶ ἐντραφεῖεν, (vulgo ἥ δὲ καὶ εἰ τραφεῖεν. Bullialdus δὲ eiecit. Sed quum Cinensis liber habeat ἥ εἰ καὶ εἰ τραφεῖεν, verum videtur quod nos reposuimus.) παρεισθυμηθέντας τοὺς γάμους φύδην ἀναμίξαι· ἀφ' ὧν φαῦλοι γενόμενοι οἱ ἔγγονοι ἀρχὴ στάσεως καὶ διαφορᾶς τῇ συμπάσῃ πολιτείᾳ γενήσονται. Quae deinde disputat Iamblichus usque ad p. 128. ad eandem quaestionem spectantia, eorum summam Ismael Bullialdus in fine Theonis Smyrnaei ab se editi Lutet. Paris. MDCXLIII. proposuit hanc:

1. 4. 9. 16. 25. 36. 49. 64. 81. 100.
2. 6. 12. 20. 30. 42. 56. 72. 90. 110.

Sint numeri isti expositi superiores quadrati ab unitate, (inferiores) altera parte longiores à binario. Conferantur inter se 2. ad 1. duplus, et radix rationis duplae; 6. ad 4. sesquialter, 12. ad 9. sesquitertius, et sic progrediendo rationes superparticulares inveniuntur unitate se superantes sesquiquarta, sesquiquinta, et aliae. Deinde comparati numeri unius ordinis inter se, inveniuntur quadrati differre à se invicem imparibus à ternario continua serie acceptis; altera parte longiores paribus continua etiam serie à quaternario acceptis differre. Differentiae duorum altera parte longiorum ad differentiam duorum quadratorum (ratio) est superpartiens, (immo superparticularis. Iamblichus p. 118: ἑκάστη διαφορὰ τῶν ἀνομοίων σύνδυο λαμβανομένων πρὸς τὴν διαφορὰν — vulgo perperam ὁμοιότητα — τῶν ὁμοίων λόγον ἔξει ἐπιμόριον.) sed rationes illae tantum nomina imparia habent. Verbi gratia differunt 2. et 6. quaternario, et 1. et 4. ternario; ergo differentia 4. ad differentiam 8. est sesquitertia. Sex et 12. differunt 6. Quatuor et 9. differunt 5. ergo ratio differentiae 6. ad differentiam 5. est sesquiquinta, et sic deinceps. Qui à primo simili seu quadrato 4. generantur, omnes similes et quadrati sunt,

quater quatuor 16. quater novem 36. quater 16. 64. Qui à dissimilibus generantur, plane sunt dissimiles, ut qui ex 2. et 6. duodenarius, qui ex 6. et 12. fit 72. et sic deinceps. Quod si ex dissimili, 6. et simili, 4. multiplicatis aliquem producamus, erit dissimilis oblongus 24. et in ordine malorum. In gnomonibus quadratorum (gnomon numeri quadranguli est numerus, qui summae utriusque lateris detracta monade efficitur) et gnomonibus altera parte longiorum talis occurrit analogia:

1. 3. 5. 7. 9. 11. 13. 15.
2. 4. 6. 8. 10. 12. 14. 16.

Si accipiantur tres gnomones quadratorum 1. 3. 5. summa est 9. et duo altera parte longiorum 2. et 4. summa est 6. qui est subsesquialter ad 9. Si accipiantur quatuor quadratorum, summa erit 16. et trium altera parte longiorum 2. 4. 6. summa est 12. est autem 16. ad 12. sesquitertius, deincepsque sunt sesquiquarti, et sesquiquinti. Quodsi comparentur quadrati, et qui inter illos sunt medii altera parte longiores, ratio primae analogiae est dupla, 1. 2. 4. secundae sesquialtera 4. 6. 9. tertiae sesquitertia 9. 12. 16. et sic deinceps. Comparatis vero altera parte longioribus, et mediis quadratis, invenientur rationes cognatae et connexae dupla cum sesquialtera 2. 4. 6. sesquialtera cum sesquitertia 6. 9. 12. sesquitertia cum sesquiquarta 12. 16. 20. et ita deinceps. Insuper omnis quadratus et similis cum subiecto altera parte iongiori et dissimili efficit trigonum. (trigonus seu triangularis numerus est, cuius monades in formam trianguli aequilateri disponi possunt, velut ternarius, ex uno et duobus compositus, senarius unum, duo et tria complectens, denarius seu unum, duo, tria et quatuor, quindenarius, et sic porro.) 1. 2. dant 3. trigonum. 4. et 6. dant 10. trigonum, et sic deinceps. Item si addantur primus dissimilis secundo simili, vel secundus dissimilis tertio simili, erunt etiam trigoni. Duo et quatuor 6. sex et 9. 15. etc. Ita declaravit Iamblichus numerum illum nuptialem.

Sic Bullialdus. Nobis vero haec Iamblichi declaratio a Platonis sententia longissime videtur aberrare. Atque haec caussa fuit, cur alium eiusdem locum in *vita Pythagorae* cap. XXVII. etsi ita comparatus esset, ut veritatis testimoniis annumerari posse videretur, tamen in iis referre dubitaremus et huc potius reiiciendum duceremus, quoniam minime consentaneum esset eum, qui semel tale iudicium fecisset, alias recte iudicasse. Sed multas ille locus difficultates habet atque etiam in novissima editione, cui praefuit doctissimus Kiesslingius, ita constitutus est, ut sanus videri nequeat. Sic enim legitur p. 276. *Πολιτειῶν δὲ γραμμάς τινας τοιάσδε τρεῖς συστησάμενον, τοῖς ἄκροις ἀλλήλων συμφανούσας, καὶ μίαν ὀρθὴν γωνίαν ποιούσας· τὴν μὲν ἐπίτριτον φύσιν ἔχουσαν· τὴν δὲ πέντε τοιαῦτα δυναμένην· τὴν δὲ τούτων ἀμφοτέρων ἀνάμεσον. Λογιζομένων δ' ἡμῶν τάς τε τῶν γραμμῶν πρὸς ἀλλήλας συμπτώσεις, καὶ τὰς τῶν χωρίων τῶν ὑπὸ τούτων, βελτίστην ὑποτυποῦσθαι πολιτείας εἰκόνα. σφετερίσασθαι δὲ τὴν δόξαν Πλάτωνα λέγοντα φανερῶς ἐν τῇ Πολιτείᾳ, τὸν ἐπι-*

τριτον ἰσοπλευρον συνθεντα, τὸν τῇ πεμπάδι συζευγνύμενον, καὶ τὰς δύο παρεχόμενον ἁρμονίας. In his primum displicet participium συστησάμενον, orationem imperfectam relinquens. Quod si quis referendum putet ad superiora: ὅλως δὲ εὐφυεστὴν αὐτὸν γενέσθαι φασὶ καὶ τῆς πολιτικῆς ὅλης παιδείας, εἰκότα μηδὲν ἰδιωτικὸν εἶναι τῶν ὄντων πραγμάτων, ἀλλὰ μετέχειν καὶ γῆν πυρὸς καὶ πῦρ ὕδατος — ἐκ δὲ ταύτης τῆς ὑποθέσεως λαβεῖν τὸν λόγον τὴν εἰς ἑκάτερον μέρος ὁρμήν· δύο δὲ εἶναι κινήσεις καὶ τοῦ σώματος καὶ τῆς ψυχῆς, τὴν μὲν ἄλογον, τὴν δὲ προαιρετικήν: grammaticae rationi prospiciens sententiae vim et damnum faciat. Neque ab horrida totius libri oratione aliena talis structura est, ut fortasse ne lenissima quidem mutatione, qua sublata particula δὲ post λογιζομένων et puncto post ἀνάμεσον deleto participium cum verbo ὑποτυποῦσθαι activam vim habente construatur, opus sit. At quomodo γραμμαὶ τρεῖς dici possunt μίαν ὀρθὴν γωνίαν ποιοῦσαι? atque ut hoc feramus et effectum per eas triangulum rectangulum significari putemus, quomodo una ex iis lineis ἐπίτριτον φύσιν ἔχουσα, altera πέντε τοιαῦτα δυναμένη, tertia denique τούτων ἀμφοτέρων ἀνὰ μέσον potest dici? in quibus maxime obest illud τοιαῦτα, quod neque cum πέντε coniungi potest neque omnino habet, quo referatur, si quidem unius tantum lineae in prioribus mentio facta est; nec minus ineptum videtur, quod altera κάθετος, quae et ipsa sesquitertiam naturam habet, non statim post alteram, sed post ὑποτείνουσαν commemoratur. Quare aut magnopere fallor, aut duarum diversarum rationum explicationes confusas hoc loco habemus, alterum triangulum, alterum quadrangulum describentes, utramque referendam ad talem fere Iamblichi sententiam: πολιτειῶν δὲ γραμμάς τινας τοιάσδε συστησάμενον, τὰς μὲν τοῖς ἄκροις ἀλλήλων συμφανούσας καὶ μίαν ὀρθὴν γωνίαν ποιούσας, τὴν ἐπίτριτον φύσιν ἐχούσας, τὴν δὲ τοιαῦτα δυναμένην. quibus verbis ille et τῶν καθέτων rationem sesquitertiam et tertiae lineae vim illis paria (τοιαῦτα) producendi significaverat, figuram, tribus an quatuor lateribus constaret, quod ad rem ipsam nihil intererat, indefinitam reliquerat; quam deinde alii triangulum interpretantes τρεῖς adscripserunt insuperque πέντε, ad magnitudinem hypotenusae declarandam, alii quadrangulum intelligentes pro hypotenusa diagonalem posuerunt, eamque verbis τὴν δὲ τούτων ἀνὰ μέσον significarunt. Quibus omnibus postea ab imperitis librariis in textum receptis pessime inquinatus locus est.

Revertimur ad Bullialdum, qui suam ipsius sententiam loco citato exposuit p. 292. praepositis Platonis verbis, quemadmodum in prima Basileensi legantur: Ἔστι δὲ θείῳ μὲν γεννητῷ (Basil. recte habet γεννητῷ) περίοδος ἣν ἀριθμὸς περιλαμβάνει τέλειος. ἀνθρωπείῳ δὲ ἐν ᾧ πρώτῳ αὐξήσεις, δυνάμεναί τε καὶ δυναστευόμεναι τρεῖς ἀποκατασταίσεις, τέτταρας δὲ ὅρους λαβοῦσαι ὁμοιούντων τε, καὶ ἀνομοιούντων, καὶ αὐξόντων, καὶ φθινόντων πάντα προσήγορα, καὶ ῥητὰ πρὸς ἄλληλα ἀπέφηναν. ὧν ἐπίτριτος συνθὴν πεμπάδι συζυγεὶς δύο

ἁρμονίας παρέχηται τοῖς αὐξηθεῖς, τὴν μὲν ἴσην ἰσάκις ἑκατὸν τοσαυτάκις. τὴν δὲ ἰσομήκη μὲν, τῇ προμήκει δέ. (in Basil. hoc loco nulla interpunctio est.) ἑκατὸν μὲν ἀριθμὸν ἀπὸ διαμέτρων ῥητῶν πεμπάδων δεομένων ἑνὸς ἑκάστων, ἀῤῥήτων δὲ δυοῖν, ἑκατὸν δὲ κύβων τριάδος. ξύμπας δὲ οὗτος ἀριθμὸς γεωμετρικὸς τοσούτου κύριος ἀμεινόνων, τε καὶ χειρόνων γενέσεων. Hic locus (inquit Bullialdus) ita corruptus, et obscurus est, ut ex illo sensus aliquis vix elici queat. Priusquam autem explicationem illius aggrediamur, alias lectiones aliarum editionum afferemus. Editio Basileensis Henricpetri habet τὴν δὲ ἰσομήκη μὲν, προμήκει δὲ ἑκατὸν μὲν ἀριθμόν. (minus accurate Bullialdus Basileensem secundam inspexit, in qua non aliter, quam in prima, scriptum est τῇ προμήκει.) Editio Henrici Stephani, et alia Francofurtana habent, τὴν δὲ ἰσομήκη μὲν αὐτῇ, προμήκη δὲ ἑκατὸν μέν. (hoc quoque falsum; nam ea coniectura est Stephani in margine posita.) Idem Henricus Stephanus in notis aliam affert lectionem, τὴν δὲ ἰσομήκη μὲν οὔ, προμήκη δὲ, ἑκατὸν μὲν ἀριθμῶν ἀπὸ διαμέτρων ῥητῶν πεμπάδων δεομένου ἑνὸς ἑκάστων. (ne haec quidem codicis lectio ullius est, quamquam Stephanus ita loquitur; sed mera Cornarii coniectura, qui in *Eclogis* p. 102. ed. *Fischer*. Graeca secundum suam emendationem ita vertit: „Alteram vero aequalis quidem longitudinis non, ex altera tamen parte longam, centum quidem numerorum, ita ut a diametris dictarum quinariarum singulis, unum desit: ab his autem, quae dici non possunt, duo: a centum vero cubis, ternarius.“ Sed addit: „Quamquam autem ea, quam converti, lectio recta esse videatur: tamen obscura est tota haec geometricorum numerorum res, ut non facile sit pronunciare, quo tempore sponsum cum sponsa concumbere oporteat, ut ingeniosi et fortunati liberi gignantur, iuxta propositam hoc loco a Platone sententiam. Et neque Aristoteles, qui hunc locum V. Polit. partim probat, partim improbat, quicquam tradit, quod ad intelligendum ipsum faciat.“) Petrus Prades locum illum ita edidit anno 1625. δύο ἁρμονίας παρέχεται τοῖς αὐξηθεῖς. τὴν μὲν ἴσην ἰσάκις, τὴν δὲ ἰσομήκη τε καὶ προμήκη, ἑκατὸν μὲν ἀριθμῶν ἀπὸ διαμέτρων ῥητῶν πεμπάδος, δεομένων ἑνὸς ἑκάστων, ἀῤῥήτων δὲ δυοῖν. ἐσχάτου δὲ κύβου τριάδος. Quid voluerit exprimere Plato isto numero satis perspectum est,“ nempe in generationibus hominum vicissitudines accidere easque bonis deteriores nasci; et ut boni nascantur ex bonis, vult observari a magistratibus, quos appellat φύλακας, tempora idonea nuptiis, et opportuna, ut ingeniosi, et felices nascantur; docere insuper contendit ex bonis bonos nasci; ex malis malos, atque etiam ex bonis et malis mixtis malos solummodo posse nasci. Illa radix rationis sesquitertiae coniuncta sesquiquartae, et ter aucta, sic se habet:

3. 4. 5.
9. 12. 16. 20. 25.
27. 36. 48. 64. 80. 100. 125.

Verum quid inde deduci possit clarum non est; boni equidem Platoni sunt, qui eodem semper modo se habent, et aequalitatem servant, *quales sunt* quadrati numeri qui ab imparibus gnomonibus generantur, *et in bonorum serie* à Pythagoricis collocantur. Mali sunt altera parte longiores et oblongi. Ex bonis ergo nascuntur boni, ut ex ternario se multiplicante fit 9. quadratus numerus; sic ex quaternario fit quadratus 16. ex quinario 25. qui gnomonum circumpositione imparium generantur. ex multiplicatione ternarii et quaternarii id est ex coniunctione boni et mali, fit 12. altera parte longior et ideo malus; ex alia parte etiam oritur 20. ex multiplicatis inter se 4. et 5. Pariter ex quadratis se multiplicantibus 4. et 9. fit quadratus 36. deinde ex 4. et 16. fit 64. ex 4. et 25. 100. qui omnes boni sunt. Deteriores vero 48. et 80. nam ex altera parte longioribus quater multiplicatis nascuntur, et sunt oblongi, et ab aequalitate longius recesserunt. tales etiam sunt 27. et 125. qui cubi sunt equidem, verum tamen (si) ut plani considerantur oblongi sunt. Incrementum rationis perduxit ad cubum, quia agitur de corporum productione, quae ternario analoga est, et cubus tertius magnitudinis gradus est.

Diversam a Bullialdo rationem iniit Hieronymus Cardanus *de proportionibus*, propositione ducentesima quinta, p. 234. (ed. *Basil.* ex officina Henricpetrina a. MDLXX.) locum Platonis *de fine Reipub.* ita interpretans: Est autem ei quod divinitus generandum est circuitus, quem numerus continet perfectus. Humanae verò, in quo primum augumentationes (liber habet *argumentationes*; neque proxime sequentia vitio carent; sed ea mutare ausi non sumus.) superantes, ut superatae tres distantiae: quatuor autem terminos accipientes, similium et dissimilium, abundantium et deficientium cuncta correspondentia, et rationem habentia invicem effecerunt. Quorum sexquitertium fundamentum quinario iunctum duas efficit harmonias ter aucta quidem: aequalem aequaliter centum toties, quandam autem aequalem quidem, longitudine autem singulum quidem (secutus est vitiosam Basileensium scripturam ἕκαστον) numerorum à diametris rationem habentibus quinarii indigentibus uno singulis: non habentibus rationem autem duobus, centum autem cuborum ternarii. Totus autem hic numerus geometricus talem authoritatem habet ad potiorem deterioremque generationem. Quem locum Aristoteles ita declarat. Quorum sexquitertium fundamentum quinario coniunctum duas exhibet harmonias, inquiens, quando numerus diagrammatis huius efficiatur solidus. *Πυθμὴν* fundamentum interpretatus sum, quod radix pro latere in hac materia accipi posset. Par est ut in divina generatione numerus acciperetur perfectus: ut intelligat generationem confestim sequi corruptionem: nam sermo est de corruptione, corrumpitur autem unumquodque ut aliud generetur, malum enim est ob bonum, non contrà. Liquet autem ex Euclide talem numerum esse octies mille centum viginti octo. (tribuebat videlicet Cardanus appellationi *perfecti* eam vim, qua arithmetici perfectum numerum dicunt eum, qui parti-

bus suis par est, qui quomodo inveniatur, Euclides VIIII. 36. docet, de quo peculiarem libellum scripsit M. I. W. *Pauli*, editum Lipsiae a. MDCLXXVIII. Is, quem Cardanus intelligit, quartus est.) Et hic est finis omnium urbium divinus, cuius quadruplum velut in coeli restitutionibus, ac continuato ordine solet observari, est propè annus magnus: verisimile est enim tanto tempore confundi, decima scilicet totius circuitus parte. Humanae verò intelligit quatuor à monade numeros, aut in quavis ratione principium lineam superficiem corpus, (haec corrupta videntur) ut unum, duo, quatuor, octo; pariter octo, duodecim, decem octo, viginti septem: inter haec sunt tria spatia, et octo cum viginti septem sunt dissimilia (immo similia) et deficientia: maiora enim sunt suis partibus à quibus numerantur. Contrà decem octo et duodecim sunt similia (immo dissimilia) atque abundantia, et correspondentem habent rationem invicem. Haec Aristoteles omittit, ut ad introductionem, non rem pertinentia, velut et finem tanquàm ex praecedentibus notum. Vnde verba Aristotelis sunt ad unguem eadem verbis Platonis, scilicet: Quorum sexquitertium fundamentum quinario iunctum duas efficit harmonias: loco autem ter aucta quidem, scribit Aristoteles: efficiatur solidus, id est cubus, ut in quadratum suum ducatur: loco autem verborum aequalem aequaliter centum centies, usque illuc à diametris rationem habentibus quinarii ponit numerum diagrammatis. Est autem diagramma, quod Plato vocat diametrum, cùm numerus potest fermè duplum numeri alterius, ut 3 duplum 2, et 7 duplum 5, et 17 duplum 12, et semper numerus hic dimetiens excedit duplum alterius uno, quod ex his patet quae ab Euclide demonstrata sunt in decimo libro. Quare si debet esse quadratum eius monade maius duplo alterius quadrati, et duplum alterius quadrati est par, igitur addita monade erit impar, ergo latus eius dimetiens impar semper: latera autem ipsa quadratorum, quae duplicantur aliquando paria sunt ut 2, et tunc quadratum dimetientis est unum plus duplo, ut 9 est maius 8 monade, si verò latera imparia sint, erit quadratum dimetientis uno minus duplo, ut 49 quadratum 7 est minus uno 50, duplo 25, quadrati 5. Ex quo patet aguatio, ut ita dicam, inter 7 et 5. Cum ergo dicit: quorum sexquitertia, est, ac si diceret, ex horum numerorum serie sumemus septenarium principium epitritae, et dimetientem 5, quos simul iungemus.

Hanc Cardani explicationem non magis, quam superiorem illam Bullialdi probabat Marcus Meibomius, qui in *notis in Aristidem Quintilianum* p. 331. alibi se monstraturum significavit frustra laborasse utrumque. Sed nullam vidimus Meibomii de numero Platonis disputationem. Itaque transimus ad Casparum Peucerum, qui in *Commentario de praecipuis generibus divinationum* Witebergae 1560. recens edito p. 237. de sortibus agens haec habet:

Commenticia tota est *ἀριθμάντεια*. (sic). Vnde sit enim vis *σημαντικὴ* numerorum non video. Aut enim ipsis inest numeris natura, aut accedit extrinsecus. Natura non inest. Etenim numeri

per se sunt aut quantitates, quas mens intuens et volut ordinans objecta singularia sensibus subiecta cogitando formet, nec differunt ab ipso intelligendi actu, hocque cessante abeunt atque evanescunt: aut characteres picti, quibus notantur et exprimuntur numeri. Illas sensu perceptorum aut cogitatorum individuorum multitudinem significare: hos certum unitatum numerum, nec praeter haec aliud quidquam, adeo evidens est, ut demonstratione non egeat. Si aliunde advenire dicitur, eodem res redit, quo in Geomantia. (eam paullo ante demonstraverat neque a sideribus aliave physica causa, neque ab incorporea aliqua divina aut angelica, nisi forte ab diabolo, auctoritate ulla praeditam esse.) Credo Arithmanticae nomen initio toti numerorum doctrinae tributum a primis et summis artificibus, qua haud scio an sit perfectior ulla aut vitae accommodatior, aut naturae intelligenti convenientior. Mirae enim sunt et variae numerorum proprietates et analogiae inter sese: series non fortuita, sed aptissime distributa: discrimina varia, eaque non ἄχρηστα, sed usibus pene infinitis accommodata; quos cum ingeniorum acumine artifices eruissent et explicassent, mirati artificiosam rationem caeteri, quae numerorum inter se commixtionibus, amplificationibus, diminutionibus, partitionibus, analogiis, ceu quadam divinatione deduceret ad cognitionem rerum, quibus in artibus et vita opus erat: vim numeris divinam inesse finxerunt, sicut revera nullum expressius aut evidentius divinae sapientiae exemplum in depravata hominum natura reliquum est hac ipsa numerorum notitia. Proportiones numerorum transtulerunt argute ad politica, atque inde de politiarum periodis, ut constitutionibus, duratione, fatalibus mutationibus erudite sunt philosophati: quae proportiones imperia instaurent, stabiliant, muniant, ac tueantur: quibus vigeant et consistant: quae dissolvant eadem atque evertant rursus, denique quibus sint periodis durationes circumscriptae. Exstat arithmeticum vaticinium Platonis de Rerumpub. periodis octavo πολιτειῶν. ἐστι μὲν θεῷ γεννητῷ (sic) περίοδος, ἣν ἀριθμὸς περιλαμβάνει τέλειος, ἀνθρωπείῳ δ' ἐν ᾧ πρώτῳ αὐξήσεις, δυνάμεναί τε καὶ δυναστευόμεναι τρεῖς ἀποκαναστάσεις, τέτταρας δ' ὅρους λαβοῦσαι, ὁμοιούντων τε καὶ ἀνομοιούντων, καὶ αὐξόντων καὶ φθινόντων, πάντα προσήγορα καὶ ῥητὰ πρὸς ἄλληλα ἀπέφηναν, ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγείς δύο ἁρμονίας παρέχεται (sic) τρὶς αὐξηθείς, etc. Aristoteles hunc locum 5. Politicorum interpretatur et reiicit, ubi de periodis disputat, φησὶ, inquit, Plato αἴτιον εἶναι τὸ μὴ μένειν μηδὲν, ἀλλ' ἕν τινι περιόδῳ μεταβάλλειν, ἀρχὴν δ' εἶναι τούτων, ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγείς δύο ἁρμονίας παρέχεται, λέγων ὅταν ὁ τοῦ διαγράμματος ἀριθμὸς τούτου γίνεται (sic) στερεὸς, ὡς τῆς φύσεώς ποτε φυούσης φαύλους, καὶ χρείττους τῆς παιδείας. Etsi autem utrumque locum alii aliter intellexerunt: tamen hoc velle Platonem iudico, stabilitatem imperiorum, vigoremque his numeris comprehensum esse ac definitum, ut ineuntibus duabus proportionibus, quas sesquitertia radix cum quinario constituit,

erigantur atque efflorescant imperia: auctis iisdem atque in solidum numerum conversis, cum natura ultra solidi numeri perfectionem nihil intendat absolutius, labi rursum eadem in deterius ac deficere, occupantibus gubernationem hominibus non idoneis. Sit ergo diagrammatis sesquitertia radix, ut 4 et 3 connexa diagono quinario. Hi tres numeri duas constituunt harmonias usurpato ternario pro communi termino, nimirum sesquitertiam et superpartientem duas tertias: iidem triplicati, id est, aucti cubica multiplicatione, et coniuncti quartum terminum producunt, 216, qui στερεὸς καὶ πόβος ἀριθμὸς est: et annorum quibus imperia vertuntur, periodos continet. Sicut autem in Musicis διατεσσάρων et διαπέντε iuncta διαπασῶν complent: ita duae harmoniae sesquitertia et superpartiens tertias additae integrum absolvunt, quod ubi auctum τριπλασίονι λόγῳ excrevit in solidam, finit imperia. Etsi autem applicationem, quae sequitur in Platone, et numerorum cum hac periodo congruentiam non satis intelligo, et videtur in textu mendum esse: tamen non alienam esse à sensu Platonis hanc interpretationem praecedentia περὶ τῶν τριῶν ἀκουστατατάσεων καὶ τεσσάρων ὅρων indicant, et vult haec προσήγορα esse καὶ ῥητὰ, non ἄλογα vel ἄῤῥητα, id est, irrationalia vel inanominata. Eiusmodi fortasse Pythagoreorum fuit ἀριθμάννεια: considerarunt et naturas et proportiones numerorum: tum quousque hae progrederentur, ubi rationalium usu resistente ac deficiente, τοῖς ἀλόγοις καὶ ἀῤῥήτοις utendum esset: deprehenderunt scite apteque haec inter se congruere: et his ad vitam communem accommodatis, similem ἁρμονίαν καὶ συμφωνίαν in imperiis et publica privataque vita cuiusque requisiverunt: utque confusio harmoniarum in numeris et ultra debitum extensio rumpit ac destruit analogias, et discrepantiam efficit: sic iisdem proportionibus in communi vita mutatis, aut ad summam perfectionem auctis, sequi conversionem inclinationemque in deterius voluerunt. Postea vel imperiti vel superstitiosi assuerunt numeris aliena et falsa significata. De quaternario integrum condidit volumen Democritus, sed haec procul explodo et removeo.

Post generum praestantissimum socerum audiamus praestantiorem, quamquam hanc quaestionem obiter magis tractantem. Is Philippus Melanchthon est, in declamatione quadam *de periodis imperiorum* numeri Platonis mentionem iniiciens: (Declamationum Argentorati 1562. editarum T. III. p. 722.) Plato rem tantam involvit aenigmatibus, inquiens causam esse, cur mutentur imperia, quia sesquitertia radix iuncta quinario, duas efficiat harmonias: ultra quas cum natura postea deteriores gignat circumactam periodum finire imperia. Hoc dictum multo obscurius est Sibyllae foliis: sed tamen quid mihi videatur, breviter dicam. Vult Plato esse aliquo modo finem à natura ordinatum imperiorum. Sicut in Musicis, ubi post διὰ πασῶν ulterius natura non progreditur. Fit autem διὰ πασῶν iunctis διὰ τεσσάρων et διὰ πέντε. Hic et coelestem, arcanam, et

moralem causam coniungit. Aliquantisper sentit gigni bonos et praestantes gubernatores, quorum virtute teneantur imperia. Postea ait nasci languidiores, qui ipsi suis furoribus evertunt imperia.

Cuius rei exemplis aliquot ex historia allatis Melanchthon quaestionis gravissimae orantisque vires superantis explicationem defert ad praesentem Casparum Crucigerum, cuius responsio ibidem edita est haec: Perspicua et illustria testimonia sunt providentiae divinae, certa corporum coelestium et elementorum series, certi siderum motus, ac specierum conservatio, et mentis humanae noticiae, quae sunt artium fontes. Haec omnia cum intuemur, fateri cogimur, esse mentem architectatricem mundi, quae velit coli iuxta normam ac leges, quas nobis indidit. Postea verò cum confusiones imperiorum, gentium interitus, et dissipationes intuentur, homines attoniti admiratione stupent, ac rursus dubitant, an casu imperia nascantur, et rursus casu dilabantur, ut formicarum examina. Nec profectò tristius ullum spectaculum est, quam intueri inde usque ab initio ruinas tot florentissimorum regnorum. Quanta virtus fuit civitatis Atticae? Nunc quo in loco fuerit, non satis sciri potest. Propter hanc tantam varietatem eventuum, multa de causis mutationum Philosophi quaesiverunt: nec explicari res, nisi in doctrina Ecclesiae potest. Plato igitur videns inextricabilem quaestionem esse, Musis eum sermonem attribuit, quas velut vaticinantes fingit obscurè causam recitare. Ideò certas esse politiarum periodos, quia in generatione iungatur sesquitertiae quinarius. Eius dicti etsi multae interpretationes à doctis quaesitae sunt: tamen hanc simplicissimam esse iudico, ut consonantiarum finis natura ordinatus est, cum ad διὰ πασῶν ventum est: ita legibus fatalibus ait subinde nova imperia exoriri ruentibus prioribus, propterea quòd praestantiora deficiant, donec rursus fatali aliqua lege fiat instauratio. quae ipsa sententia tamen affirmat, divina providentia sic ordinatam esse et rerum et hominum naturam, ut ruentibus imperiis alia constituantur. Sed causam ruinae monstrat doctrina Ecclesiae, quae adfirmat mutationes imperiorum poenas esse scelerum, quae populi et reges perpetrarunt. (in eamque sententiam paucula addit, quae hic repetenda non videbantur, utpote ad locum Platonis non amplius respicientia.)

Crucigeri responsioni subiecta legitur in eodem libro explicatio Matthiae Lauterwald, qui praescriptis verbis Platonis: ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπτάδι (sic) συζυγεὶς δύο ἁρμονίας παρέχεται τρὶς αὐξηθεὶς hunc in modum disserit: Quae deinde in Platone sequuntur, obscuriora, ut videntur, huic sententiae omnia sunt inclusa, ut et Aristoteles in ultimo capite quinti Politicorum iudicavit. Quapropter hac sententia explicata, reliqua omnia facilius patebunt. Duo autem in hac sententia quaeruntur. Primò quasnam harmonias ὁ πυθμὴν sesquitertius praebeat in mutatione legum et status imperiorum. Deinde quo tempore illa mutatio fiat. Ad primam quaestionem respondeo,

quod triplicatis lateribus τοῦ κυθμίσκος sesquitertii, excrescant super Diatessaron, Semiditonus cum Diapente, et Diapason cum semiditono, id est, septima et decima super quartam, ut nunc vulgò loquimur. Etsi enim aliis Musicis modulis intervallum $2\frac{10}{27}$ rationis explere possemus, tamen illud minimè faciendum esse censemus. (sic haud dubie scripsit Matthias, triplicata latera cubos dicens ternarii et quaternarii, quorum illa ratio est. In libro numeri 2, 10 et 27 temere dissipati, 10 ante *Etsi*, 2 ante *rationis*, 27 ante *faciendum* leguntur.) Quod Platonis sententiae magis conveniunt harmoniae, quas praebent bina media proportionalia, quae inter triplicata latera existunt. Alioqui enim plures harmoniae quam duae accederent sesquitertiae rationi. Appellemus igitur duas harmonias peculiari modo: semiditonum cum diapente, et Diapason cum semiditono. Quarum posterior, hoc est, decima, etsi a cantoribus pro harmonia habetur: tamen Musici, praesertim Pythagorici, eam reiiciunt tanquam prorsus dissonam, ipsum Diapason excedentem. Caeterum semiditonus cum Diapente seu septima, uno ore ab omnibus et Musicis et cantoribus inter stridulas symphonias abiicitur. Constat igitur, Sesquitertiam rationem dulcisoni Diatessaron ter compositam, praebere duas dissonantias, maximè secundum Pythagoram, à quo Plato plurima numerorum theoremata sumpsit, harmoniis accommodata, idque non iniuria. Pythagoras enim inventor illarum rationum, et summus artifex fuit. Ad secundam quaestionem respondeo verbis Platonis, quod illae mutationes fiant, quando ὁ κυθμὸν sesquitertius triplicatur, sive ut Aristoteles loquitur, quando numerus diagrammatis sive quadranguli fit solidus, hoc est, 1728 annis. Haec ut explicentur, et appareat, num haec rectè ex sententia Platonis protulerimus, necesse est nos initio quaedam vocabula explicare. Primò quidem τὸν κυθμένα non rectè verterunt cubum. Ipsum enim vocabulum, propriè significat fundamentum, seu fundum, sive extremum alicuius corporis, quod revera ex Geometria constat esse superficiem. Quapropter sciamus Platonem hoc vocabulo superficiem significare, et quidem quadrangulum, sicut liquet ex Aristotele, qui τὸν κυθμένα per vocabulum diagrammatos explicat, quo absolutè hic significatur quadrangulum, quamvis et alias species planarum figurarum comprehendat. συζυγία autem quinarii fit per diagonalem, habentem quinque partes coniugantes duo latera, quorum alterum tres, alterum quatuor habet partes. Sequitur in textu, δύο ἁρμονίας παρέχεται. Quae verba totam Platonis sententiam Cimmeriis tenebris videntur involvere, ita ut totum dictum foliis Sibyllae, aut aenigmate Sphingis videatur obscurius. Quomodo enim id in hac rerum natura possibile est? vel ratione numerorum, vel cuiuscunque quantitatis, Sesquitertiam rationem componendo, vel unam praebere harmoniam? Id enim impossibile est ex Pythagorica definitione, et ex doctrina proportionum. Sicut enim Diapente quotiescunque auctum, non praebet ullam consonantiam, ita nec Diatessaron: quia neu-

trum est in aliqua multiplici ratione, ut est Diapason. Quae tantum harmonia aucta constituit harmonias. Ideo ei soli Aristoteles tribuit antiphona, ut est videre in decima nona sectione Problematum. Deinde quasnam harmonias efficeret composita sesquitertia, cum in tota rerum natura, tres tantum perfectae harmoniae inventae sint, nempe Diapason, Diapente, et Diatessaron. quibus congruunt compositae, Disdiapason, et Diapason cum Diapente. Quae harmoniae nullo modo fiunt ex compositione aut Diatessaron, aut Diapente. Num igitur ignorantiae, aut illibertatis, quod sua noluerit intelligi, accusandus est Plato, Philosophorum praestantissimus? Neutrum horum ullo modo concedendum est: verùm respondendum est, eum abusum esse nomine harmoniae pro dissonantia, quae generata est ex concinna et suavi harmonia Diatessaron. Sicut vulgò receptaculum cadaveris dicimus sepulchrum hominis, ipsi cadaveri tribuentes priorem habitum. Ita prorsus intelligendum est vocabulum τῆς ἁρμονίας, si retinenda est haec lectio, quae etiam in Aristotele extat. Si verò satis graecè posset dici δυσαρμονία, pro δύο ἁρμονίας legerem δυσαρμονίας, quasi dicat, Sesquitertia ratio Diatessaron, quae est imago Reipublicae aucta secundum ternarii perfectionem, non producit retinentia suae originis iustam harmoniam et suavitatem, sed puras putas dissonantias. Ita et optima Respub. cum pervenit ad perfectam sui auctionem, non retinet suum naturalem statum, ab initio constitutum, sed prorsus contraria producit destruentia harmoniam ipsius, nempe leges et totam imperii formam. Per Harmoniam enim praecipuè Platonem depingere leges Rerumpub. facile constat ex Aristotelis sectione decima nona, Probl. 28. (Aristotelis verba nil tale docent: διὰ τί νόμοι καλοῦνται οὐχ ᾄδουσιν; ἢ ὅτι πρὶν ἐκίστασθαι γράμματα, ἦδον τοὺς νόμους, ὅπως μὴ ἐκλάθωνται;) Caeterùm cum omnia exemplaria legant δύο ἁρμονίας, nec usitata, imò durissima sit appellatio δυσαρμονία, retineamus usitatam lectionem. Et credo hanc veriorem esse, eò quod Plato maximas Rerumpublicarum dissipationes et confusiones voluerit pingere duabus maximè insignibus dissonantiis, quae in hac triplicatione laterum dulcisono diatessaron accedunt, manetque ipsa similitudo illustrior. Pertineret praeterea ad explicationem vocabuli harmonias, definitio eius Pythagorica, cum quadam explicatione. Item erudita disputatio de fundamento concordantiarum, quibus utuntur hodie cantores in Contrapuncto, ut vocant: quomodóque illae ipsae consentiant cum harmoniis Pythagoricis. Item an ex concordantiis cantorum quidam rectè concludant, Diatessaron non esse harmoniam. Sed hoc loco habenda est ratio brevitatis. Ideo hoc labore supersedebo, praesertim cum haec maxima ex parte possint peti ex Musica Boetii, aut Stapulensis. Postremò igitur in hoc dicto Platonis Triplicatio intelligatur ea, quam vulgò cubicationem vocamus. Sicut infra in Geometrica progressione Platonis, surdesolida multiplicatio utriusque numeri 4. et 3. dici potest quintuplatio. Eo enim

modo sesquitertia ratio, Diatessaron quinquies additur, et constituitur Disdiapason cum semitonio minore, id est, decimasexta, quae complectitur utranque dissonantiam politias destruentem. Ideo Plato tanquam in termino ibi consistit, et colligit annos totius progressionis ab unitate, seu principio politiae. (Haec per se satis obscura magis etiam implicabantur vitio typothetae, quod sustulisse nobis videmur *surdesolida* reponentes pro *sursolida*, et commate post *quintuplatio* in punctum verso *Eo enim modo* scribentes pro *Deo enim modo*. Surdesolidum enim seu supersolidum seu primum relatum ante Diophantum editum appellabant quadratocubum seu numerum, qui fit ex quadrato in cubum ab eodem profectum latere, teste Bacheto Meziriaco ad Diophantum p. 3. Itaque Matthias aliam hoc loco interpretationem verborum *κυρικὰς συζυγίας* proponit, cuius vis intelligi poterit ex numeris in extrema declaratione ab eo descriptis. Caeterum quae proxime sequentibus iunctim praefixae et vitiose depictae figurae sunt in libro, eas nos correctas suis reddidimus locis.) Haec omnia ut intelligantur, sit quadrangulum seu *τετράγωνον* AB sesquitertius, hoc est latera AC et AD, sive DB et BC, eam



inter se habeant rationem. Quantitas autem illorum laterum sit talis, ut Diagonalis AB quinque partium existat. Constat verò ex erudita calculatione, quòd nulli (in libro est *multi*) alii numeri per quinarium hoc modo coniungentur, quam 3 et 4. Ergo DB erit 3 et AD 4, qui numeri sunt termini sesquitertiae rationis, à qua hoc quadrangulum denominatur. Ait igitur Plato, quod in universali mutatione legum et statuum imperiorum, in quibus est principium, medium, finis, ratio dulcisoni diatessaron, secundum has tres perfectas vicissitudines, ter aucta, producat duas diversissimas harmonias, sive potius dissonantias, prioris harmoniae dulcedinem et naturalem consensum turbantes, simulque eaedem ascendunt ultra totum Diapason dissonantes, evertuntque sua clamositate omnes harmonias, quae sunt infra diapason perfectissimae, et propter sonorum gravitatem mollissimae modulationis, ut liquet ex 19 sectione Aristot. Proble. 50. (ne hic quidem Aristotelem intellexit Matthias noster. Quaerit enim ille: *διὰ τί τῶν συμφωνιῶν κοινόντων φθόγγων ἐν τῷ βαρυτέρῳ τὸ μελαπόταμον;* itaque et diapente et diatessaron in gravioribus mollius, quam in acutioribus sonare statuit.) Communi quidem persuasione oporteret

Respub. plurimum auctas florere, et in honesta disciplina colenda esse diligentiores, propter diuturnam consuetudinem. Sed contrarium fieri asserit Plato etiam in optima Repub. et optimè convenienti naturae, idque ait fieri naturali quadam conversione. Nam inter perfectas harmonias naturae valde convenit ea, quae est sesquitertii soni, seu Diatessaron, eò quòd semper molles voces, ut fa, (bodie ce ef) naturales, re sol: (de ge) sonoras, mi la, (e a) coniungat: ita ut voces ipsae nihil inter se discrepent, sed omnes optimè conveniant ad dulcem et naturalem sonum. Sicut et ipsi agricolae oblectantes equos aratrum trahentes, utuntur aliquo modo hoc soni intervallo natura duce. Sed ut appareat diatessaron, non modò per se dulcisonans esse intervallum, verùm dulcem quoque et suavem venustamque harmoniam maximè supra diapente, ascendamus ex Γ in Dsolre, ex eòque loco in Gsolreut, (id est ex Ge magnae octavae in de parvae, ex eoque in ge eiusdem) et audiemus tribus vocibus simul sonantibus, admodum concinnam et perfectam harmoniam, utpote concurrentibus perfectissimis harmoniis, quae symphonia tota est imago heroici magistratus, cum pulcherrimis legibus optimae Reipub. consentientis, ut infrà dicetur. Caeterum haec mollis et dulcisonans harmonia perfectè secundum ternarium numerum aucta, non assequitur meliorem harmoniam: verùm illa naturali auctione transcendit in durissimam, clamosam, et secundum Pythagorae doctrinam dissonantem harmoniam, quae est Diapason cum semiditono, habentis rationem quae est inter 64 et 27, stridente interim tumultuosè semiditono cum Diapente, seu septima, sub dulcisono et incandissimo Diapason. Huius enim septimae maxima est dissonantia et deformitas, ut propter aurium incolumitatem necesse sit hoc intervallum pausa interrumpi, si aliquando cantilenae extrudi non potest. Haec ut in numeris cernantur, ratio sesquitertia quae est diatessaron, ter componatur, et prodibit dupla superdecempartiens vigesimas septimas, (id est $2\frac{10}{27}$) quae consistit inter duos cubos, nempe 64 et 27. Cadant igitur

Semiditonus cum Diapente.



Diapason cum semiditono.

inter eos duo medio loco proportionalia hoc modo, 64. 48. 36. 27. Conferantur autem primò tres numeri quicunque, medio exempto, et habebimus rationem $1\frac{7}{9}$, quae est semiditoni cum Diapente. (Similis hoc loco confusio numerorum in libro, qualem p. XXXXIIII. notavimus.) Conferantur postea extremi numeri 64 et 27, et habebimus rationem,

quae est Diapason cum semiditono. Horum igitur duorum modorum ut violenta inter ipsos dissonantia consideretur, ascendamus primò per septimam ex Γ in Ffaut, postea ex hoc loco per decimam ascendamus usque ad excellentes in aalamire. (id est ad a semel notatae octavae.) Simul igitur sonantibus horum trium locorum vocibus, audiemus dirum ululatum, imò clamores Lapitharum et Centaurorum, inter se dissono, vario et deformi rugitu certantes. Haec tanta dissonantia non tantum à Musicis sed etiam ab omnibus canteribus malè audit, distat enim à Γ decima sexta. Diligenter igitur consideretur, has duas dissonantias non simpliciter per se esse dissonas: sed etiam inter se, tanquam duo pessima mala contraria acerrimè pugnare: qua maxima pugna, strepitu et tumultu, omnes totius scalae cum Diatessaron optimae harmoniae non modò non audiuntur, sed prorsus obruuntur et intereunt. Ita, ait Plato prorsus fieri in optima Repub. quae naturali modo perfectè secundum ternarium cum aucta est, profert sibi contraria: quae inter se pugnantia violentissimè, faciunt turbationes et totales mutationes legum et imperiorum. Cum autem hi numeri 64 et 27 proferunt eas dissonantias, multiplicantur simul inter se procreantes numerum annorum, quo ista contraria evertentia leges et status Rerumpub. existunt, nempe 1728 annos. Horum partem subtriplam supertripartientem octavas (id est eum numerum, qui eandem ad 1728 rationem habet, quam habet 8 ad 27) tribuunt mutationibus principatuum, nempe 512 annos, cubum ex octo, ad quae 12 habent sesquialteram rationem; hoc est, 12 habent se ad 8, ut 3 ad 2, quae est ratio vividi et gestientis Diapente. Status igitur et leges constituunt cum principibus hanc exhilarantem suavitatem Diapente, dum principes manent simplices numeri, hoc est, subiecti legibus, ut binarius multis modis est subiectus ternario. Cum verò fiunt solidi, hoc est, negligentes legum, contemptoresque omnis disciplinae, sua tantum quaerentes et augentes, non statum publicum, turbant hanc concinnam et vivificam Diapente harmoniam, qua turbatione sibi interitum accersunt ultrò, sicut octonarius repraesentans principes, dum nullum alium numerum, nisi se ter auget, procreat eum numerum, quem Plato constituit eversorem principatuum. Habet autem haec ratio celeriores mutationes, quàm ratio sesquitertia legum, ut convenit Diapente, quod vehementius fertur et est excitatius, quam Diatessaron: quod etsi est dulcisonans, tamen aliquanto remissius, et languidius sonat. Talis est status legum et Reipub. si non accedat heroicus quidam zelus magistratus, qui est viva vox legum, constituens cum illis vivificam Diapente harmoniam, ita ut hoc modo ex Diapente et Diatessaron constituatur una quaedam et perfectissima et absolutissima harmonia, omnes alias complectens, nempe suavissimum Diapason, omnis dissonantiae expers. Superior verò numerus invenitur quoque, si numerus τοῦ πνθμένος seu diagrammatos fiat solidus, hoc est, si 12 quae numerant aream prioris quadranguli, cubicè multiplicentur.

Hoc modo simpliciter procedit Aristoteles, et primò quidem ipse Plato. qui tamen postea alium videtur modum subiungere, cum scilicet à numeris laterum, pro ratione, quam habent ad unitatem, progreditur usque in *quintum* locum, hoc modo:

1.	
4.	3.
16.	9.
64.	27.
256.	81.
1024.	243.

Hi numeri omnes aggregati cum unitate etiam procreant 1728. quem numerum constat Platonem tribuere totalibus legum mutationibus, ex tota illa speculatione, quam habet de (hanc praepositionem omisit liber) duratione mundi. Hanc sententiam dicti Platonis simpliciter elicere conati sumus, salvo cuiusque meliori iudicio.

Lauterwaldi expositionem cum Penceriana contulit M. Bartholomaeus *Bredelo*, Regiom. Prussus, in dissertatione *de numero quem Plato rebusp. fatalem statuit*, Lipsiae defensa a. MDCLXVIII. §§. 19—30. Atque initio quidem falsus est, quum ait consentire utrumque in eo, quod *πνθμένα* superficiem quadrangulam rectangulam denotare putent, ideoque ambo vocem illam Latine reddidisse fundamentum vel fundum. Penecrum enim non ita reddidisse supra vidimus. Caetera magis vere, at sine iudicio refert, ut audire eum in hoc parte nihil attineat. De reliqua eius opera postea dicetur: nunc interrogetur alius, qui et ipse ab eodem Bredelone citatus est, Ioannes Bodinus, qui duobus locis de Platonis numero disputavit, primum in *Methodo historica*, deinde in libris *de Republica* vernacula primum scriptis, post Latine ab ipso editis. In *Methodo* quidem capite sexto *de statu* agens *rerum publicarum* conversionibus earum commemoratis p. 223. (ed. *Basil.* 1576.) His explicatis, inquit, videamus utrum ex numeris Pythagoricis conversiones imperiorum haberi possint. Absurdum sanè mihi videtur, quod Plato Rerumpublicarum exitus et vicissitudines sola numerorum potestate metitur. Tametsi enim Deus immortalis omnia numeris, ordine ac mensura mirabili colligavit: non tamen numerorum viribus, multò minus fato tribuendum est, sed manifestatì divinae, quae ipsa, ut Augustinus scribit, fatum est, aut nullum omnino aliud existit. Itaque cùm Aristoteles causis consequentibus omnia tribueret, Platonis numeros irrisit, libro quinto de Republica, quo nihil inclius est in tota illa disputatione, aut accuratius ab eo tractatum. Causas autem conversionum multas affert, quae mihi videntur generibus omnino contineri. Sunt autem inimicitia, honor, metus, contemptus, nimiae paucorum opes, nimia multorum inopia. Quae quod ab illo copiosè disputata sunt omitto. Sed cùm Plato in illa Republica quae propriè Socrati tribuitur, modis omnibus providisse fingatur, ne quis alteri ullam iniuriam inferret, ne quis alium metueret aut contemneret, neve honoris aut lucri causa Rempublicam

perturbaret: postremo pestes illas antiquissimas civitatum, scilicet opes et inopiam, de sua Repub. summovisset: non poterunt illa quae sunt ab Aristotele allata, interitum Reipub. afferre, si demus talem esse, qua nulla melior fingi potest. Interitum tamen sentiet, inquit Socrates, sua ipsius vetustate: quoniam eiusmodi est omnium rerum natura. Miror tamen cur Plato, qui mundum divina bonitate perpetuum fore putavit, alioqui suopte morbo ac senio ruiturum: non etiam de optimo Reipub. statu idem iudicarit. Platonis interpretes exitium Reipublicae tum demum fore tradiderunt, cùm harmonia numerorum labefactaretur: non igitur optimus esset ille status, quem Socrates animo concipiebat, si morbo interiore aut concentu perturbato Respublica rultura sit. Illud autem numeris acceptum ferre absurdum videatur. Vt enim numeri malè sibi cohaerentes discrepantium ingratam efficiunt, propterea quod ex his soni conflati misceri non possunt, et cùm alius alium pellat utrique vi quadam aures subire conantur, concentu verò sonorum suaviter confuso, id est, cùm rationi congruentibus numeris aptè misceatur, nihil discrepare potest: sic Respublica suavi semper concentu temperata confusáque, ubi nullum dissidium, nulla sonorum discrepantia est, neque ex hypothesi esse potest, non video quo modo labefactari queat. Quare falsum est quod ait Forsterus, voluisse Platonem Republicas initio bene constitutas, et eam praesertim quam nobis proposuit ad imitandum, temporis decursu veluti numeros initio bene sibi congruentes, paulatim discrepare: idque fieri putat, cùm à sesquitertia ratione discedatur. Sed ab eo tam multa peccantur, ut quid maximè dici non possit. Primum quod rationes harmonicas tripla et quadrupla ratione connectit, quae paribus et imparibus numeris dupla tripláque ratione debent copulari, ut ipsa numeri nuptialis natura docet. Itaque suavissimus ac primus omnium concentus, cùm ab unitate discesseris, est ea quae ratio sesquialtera dicitur duorum ac trium, quae nullo interiecto medio copulantur. Postea novem et quatuor vehementer discrepant, quia sine medio cohaerere non possunt: igitur senarius utrunque aequa ratione copulabit, et eum utroque suaviter concinet. Consimiliter XXVII. cum VIII. eadem ratione qua superiores coniungantur, duobus interiectis medijs, scilicet XII. et XVIII. nec si in infinitum progrediare isto modo, ulla discrepantia futura est. Itidem in ratione sesquitertia trium et quatuor non quidem iusta est harmonia, ut ille voluit: cùm neque veteres, neque nostri concentum illum ferre possint, sine tertia aut quinta; sed tamen is concentus suam quoque servabit venustatem, si, ut in prioribus, intermedios numeros quaeramus. Quid enim ineptius quàm eandem rationem constituere trium ad quatuor quae est XXVII. ad LXIIII. Demus igitur veram rationem inter utrunque XXXVI. et XLVIII. idem erit proximi cuiusque concentus ad alterum, qui est trium ad quatuor. Haec autem harmonia concors perpetua futura est, etiamsi in infinitum progrediare. Vt si demus CCXLIII. et MXXIII. qui in numero nuptiali dupla tripláque

ratione sunt quadrati, in concentu aeque discrepabunt, ac XXVII. et LXIIII. Sin rationes medias inseruerris, scilicet CCCXXIII. CCCCXXXII. DLXXVI. DCCLXVIII. proximus quisque finitimo tam bene concinet et cohaerebit, quàm tribus quatuor; quia in omnibus sesquitertia ratio est. In hoc etiam vehementer labitur, quòd aliorum opinionem secutus magnum Platonis numerum duodenarii cubum facit; quod quidem si verum esset, cur Plato altera parte longiorem quaeri voluit? Sed quoniam nihil obscurius ac difficilius Platonis numeris videtur, nihil temere affirmabo: illud tantùm, quod ad conversiones imperiorum pertinet, voluisse Platonem Respublicas quantumvis bene constitutas, etiam domestico vitio, vel externa vi certo quodam annorum decursu labefactari: ut adamas et aurum tanta naturae vi ac praestantia colligata sunt, ut per se ipsos violari non posse videantur: at se tamen violantur, id quod ex principiis constat; tum etiam externa vi, quia diuturnis ignibus aut aqua chrysaica paulatim effluunt et corrumpuntur.

Haec Bodinus in *Methodo*; sed aliquanto his subtilior in libro *de Republica* quarto, capite secundo, quo quaerit, *an Rerumpublicarum conversiones praecipi possint*. Ibi postquam de Copernici opinione, qui eas ab eccentrico terrae motu pendere putavit, iudicium iniquius fecit, p. 640. (ed. *Francof.* 1609.) haec scribit:

Sed ad Platonis sententiam veniamus. Is enim respublicas conturbari et occidere putavit, cum suavitatis illius quae ab harmonia exsistit, concentus interrumpitur aut violatur: id autem fit, cum in numero nuptiali ab illis (in libro est *aliis*) rationibus, quas musici *διὰ τεσσάρων* et (haec copula non est in libro) *διὰ πέντε* vocant, longius discesseris. Numerum vero nuptialem definit, qui ab unitate incipiens, duplà ac triplà ratione solidatur, ut dextra quidem mares, id est impares, sinistra foeminae, id est pares numeri, continuâ serie hunc in modum constituantur:



media vero loca numeris perfectis, imperfectis, quadratis, sphaericis, cubicis, ut nulla numerorum ratio desit, compleantur. Haec autem numerorum series infinita esse potest, quia tonî vis ac potestas aeque est infinita partitione, ut dimensio quaelibet. Ita reipub. bene constitutae forma stabilis erit, quamdiu rationes rectas et aurium iudi-

tati congruentes servabit: dupla quidem, seu διαπασῶν, ab unitate ad binarium: sesquialtera, à binario ad ternarium, quae fit διὰ πέντε: sesquitertia trium ad quatuor, quae fit διὰ τεσσάρων, tripla quae fit διὰ πέντε καὶ διὰ πασῶν; quae quod omnes concentus complectitur, σύστημα vocatur. Si ulterius progrediare ad eam rationem quae est quatuor ad novem, insuavis ratio et auribus supra modum ingrata futura est. Illud est quod voluit Plato, ut quidem opinor: quoniam qui facem in locis tam obscuris praetulerit, habemus neminem: ut non immerito questa sit antiquitas, nihil Platonis numeris obscurius esse. Nam Foresterus longissime à Platonis sententia discedit, cum rationes triplas et quadruplas consectatur: quoniam numeri nuptialis fundamenta, ac trianguli latera, quae ex dupla triplaque ratione exsistunt, labefactat. Illud etiam absurdum, quod eandem rationem inter 27 et 64 esse putat, quae est trium ad quatuor; cum sit 3 ad $7\frac{3}{7}$. At Plato iubet aream trianguli numeris compleri; et iis quidem numeris, qui ex mutuo marium ac foeminarum complexu exsistunt: ut si duo ducantur in tria, gignitur senarius; qui medias complet aream vacuam, quae est inter 4 et 9. qui duo numeri nulla quidem ratione conceptum efficiunt: sed utriusque ad senarium ratio eadem est quae trium ad quatuor, id est, sesquialtera seu διὰ πέντε. Item si ducantur duo in sex, ac rursum tria in sex, duo numeri prodeunt, 12 et 18. qui complebunt aream trianguli vacuam, quae inter 8 ac 27. interiacet. Item si ducantur 2 in 12, et 3 in 18, procreantur 24 et 54: ac rursus 3 in 12. vel quod idem est, 2 in 18, exsurgunt 36. qui tres numeri 24, 36, et 54, aream trianguli complebunt, quae vacua erat inter 16 et 81. quorum numerorum interiectorum rationes mutuae, et cum proximis quibusque numeris accommodatae, perpetuum continent suavitatis tenorem, etiamsi in infinitum trianguli latera porrigantur, cuius haec sit forma:



Si igitur rationum, quae suavem concentum efficiunt, delectus habeatur, in perpetua serie numerorum, sempiterna respub. futura sit: si quidem ab harmonia rerumpub. status pendet. Sed ab ea, inquit Plato, disceditur; ut necessario pereant concentus, et respublicae tandem intereant. Num potius metuendum est ut (sic) cives ab

optimo et naturae congruenti legum ac morum consensu discedentes, leges iniquas amplectantur? Neque tamen dubium est, quin maxima semper fuerit harmoniae in republica vis ac potestas; ut non modo Platoni, verum etiam Aristoteli quoque placet: tametsi non putat Cicero cantibus reipub. mutatis, respublicas mutari, sed vita victuque civium mutato. Cuius rei memorabile exemplum habemus de republica Cynaethensium Arcadiae populorum etc. (omittimus enim ea, quae de Cynaethensibus ex Polybio refert, item quae de vi musicae in *Gallis* conspicua memorat p. 643.) Nulla tamen ex omnibus quae attulimus de conversionibus futuris interituque Rerumpub. indicando, praecepta certa videmus; tametsi probabiles coniecturas habemus; quarum nulla certior aut facilior mihi videtur quam quae ex numeris elici potest. Sic enim opinor, Deum opt. max. qui rerum omnium naturam mirabili sapientia coagmentavit, ac singula suis quibusdam numeris, modo, ratione, concentu, futura colligavit, Res etiam publicas suis quibusdam numeris circumscripsisse; ut statu quodam annorum decursu, etiamsi optimis moribus ac legibus utantur, intereant tamen, ut Platoni cum Aristotele convenit. Quando vero id futurum esset, neuter definit; nisi Platonem numeris obscuris id significare quisquam putet, libro 8. de Repub. quem ad scopulum non modo Academici omnes, sed etiam omnium pene philosophorum familiae navim affixerunt. Primus quidem Aristoteles locum hunc quasi vallum transiit, neque ut solet, magistrum momordit, cum propter obscuritatem non haberet qua parte illum carperet. Proclus septem quidem Platonis de Repub. libros satis accurate interpretatus octavum attingere noluit, rei difficultate, ut opinor, revocatus. Theoni quoque Smyrnaeo non modo Platonicae philosophiae, sed artium quoque mathematicarum peritissimo — alius est Theon Alexandrinus, qui ad Ptolemaeum commentarium Graece scripsit — cum Platonis Rempub. interpretaretur, aqua haesit; nec sibi locum hunc interpretandum putavit. M. Tullius numerorum Platonis obscuritatem uno verbo excusavit. Marsilius Ficinus, Academicorum omnium, quantum quidem opinor, acutissimus, se, quid Plato vellet eo loco, nescire plane confitetur; veritus ne idem illi (sic) usu veniret quod Iamblicho, qui tribus verbis rem per se obscurissimam non illustrasse, sed obscurius involvere voluisse videtur. Philo Hebraeus, Platonis ubique imitator, numerum illum quinquaginta esse putavit: idque significari scribit orthogono scaleno, quale Pythagoras tribus numeris 3. 4. 5. complexus est: eoque referri putat verba illa Platonis *sesquitertia radix quinario coniuncta:* est enim 3. ad 4. ratio sesquitertia. sed in eo fallit, quod numerum planum invexit, cum appareat Platonem solidum numerum quaeri voluisse, qui omnia numerorum genera praeter perfectos complectatur. Philo tamen ex his radicibus 3. 4. 5. singulatim in se ductis tres quadratos efficit: unde conflantur 50. numeri, omnes plani. (bene fecit Bodinus, quod in libris *de vita Mosis* esse locum Philonis a se intellectum in margine ostendit: aliter non crederemus. Nam libro

tertio pag. 666. B. ed. *Paris.* 1640. quo solo loco quinquagenarii ex triangulo rectangulo prodeuntis mentionem facit, ut alius a Bodino significatus esse non possit, de Platone eiusve numero nihil plane dicit, quinquagenarium tantum extollit, his verbis: *ὁ ἁγιώτατος πεντηκοντάδος ἀριθμὸς, δύναμις ὢν τοῦ ὀρθογωνίου τριγώνου, ὅπερ ἐστὶ τῆς τῶν ὅλων γενέσεως ἀρχή.*) At Platonis verba centesimum cubum complectuntur. Praeterea nulli sunt dimetientes lateribus incommensurabiles, ut in numero Platonis, cuius verba describere, eaque interpretari placet: tum quod interpretes inter se plurimum discrepant; tum etiam quod eius numeri ignorationem civitatum moderatoribus prope capitalem esse praedicat. Sic igitur Plato: *ἔστι δὲ θείῳ μὲν γενητῷ περίοδος ἣν ἀριθμὸς περιλαμβάνει τέλειος. ἀνθρωπείῳ δέ, ἐν ᾧ πρώτῳ αὐξήσεις δυνάμεναι καὶ δυνησόμεναι τρεῖς ἀποκαταστάσεις, τέτταρας δὲ ὅρους λαβοῦσαι ὁμοιούντων καὶ ἀνομοιούντων, καὶ αὐξόντων, καὶ φθινόντων πάντα προσήγορα καὶ ῥητὰ πρὸς ἄλληλα ἀπέφηναν, ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγεὶς, δύο ἁρμονίας παρέχεται τρὶς αὐξηθεὶς, τὸν μὲν ἴσον, ὁσάκις ἕκαστον, τοσαυτάκις· τὸν δὲ ἰσομήκη τῇ προμήκει ἑκατὸν μὲν ἀριθμὸν, ἀπὸ διαμέτρων ῥητῶν πεμπάδων δεομένων ἑνὸς ἑκάστων ἀῤῥήτων δὲ δυοῖν, ἑκατὸν δὲ κύβων τριάδος. ξύμπας δὲ οὗτος ἀριθμὸς γεωμετρικὸς τοιοῦτος, κύριος ἀμεινόνων τε καὶ χειρόνων γενέσεων.* Id est, ut ego interpretor: Rerum quidem earum, quae divinitus oriantur, ambitum numerus complectitur perfectus: humanarum vero, is numerus in quo reperiantur numeri superantes ac superati ex incremento ac decremento tribus intervallis quatuor terminis comprehensis; ex quibus efficiuntur cum similes, tum dissimiles inter se numeri, aucti atque imminuti: qui propriis nominibus efferantur, et inter se comparentur. quorum sesquitertia radix quinario coniuncta, duos concentus efficiat: ter aucta, unum: aequalem, aequaliter; centies, centum: alterum aequalem una parte sui longiorem centum ex dimetientibus quae inter se comparari possunt, detractis quinariis unitate minoribus; duabus vero ineffabilium rationum centum vero solidorum ipsius ternarii. Atque hic numerus geometrica ratione conflatus in rebus humanis potentissimus est ad eos qui mellorem quique deteriorem originem sortiuntur. (haec interpretatio Graecis, quae praescripsit Bodinus, minime respondet. Itaque dubito, an ea ab alio forte, cuius doctrinam magni faceret, constituta, sed parum a se intellecta, mutuatus hic posuerit.) Hic Plato non aliter, quam Polypus, ne irretiatur, atramento undequaque suffuso, elapsus est. in quo quidem Heraclitum, ad cuius scripta interpretanda Delio natatore opus esse dicebat, imitari visus est; idque iam inde ab Heraclito commentum, cum saepissime discipulis illud ingereret, *σκότησον*, non tantum à Platone, sed etiam ab Aristotele saepius usurpatum est; ut rerum difficillimarum et in abditis naturae arcanis retrusarum caligine peritis aeque ac imperitis obducta admirabilitatem sui excitarent. Id potissimum animadvertimus in libris De natura, quos Aristoteles se dedita

opera ita scripsisse gloriatur, ut intelligi nollet; Platonis Timaeum obscurissimum imitatus: quod de se ipse Lucilius scripsit, se non intelligi quam reprehendi maluisse. Sed Platonis fucum detegere placet ex iis quae aperte scribit; ut de iis quae verborum obscuritate involvit, certius iudicari possit. Voluit enim res eas quae divinitus orientur, perfecto numero definiri. Sed quae tandem res est quae ortus sui principium immortali Deo non alia causa interiecta, aut intercedentibus causis, non debeat? coelestia quidem et angelos per sese nulla interiecta causa Deum procreasse, non tantum Plato, sed ipsi quoque Manichaei confitentur, qui impie terrestria à malorum principe ortum habuisse putabant. Terra quidem procreavit stirpes et animalia bruta: aquae vero piscium et avium genera: utrumque tamen Dei praepotentis iussu. ad hominis vero procreationem angelos adesse voluit. quamquam Aristoteles formas rerum omnium divinitus quodammodo infusas esse putavit, cum scriberet in omnibus inesse θεῖόν τι. mentem vero hominis, non obscure aut ambigue, sed aperte dixit θύραθεν ἐπεισιέναι, id est, ut ego interpretor, ὑψόθεν, θεόθεν, οὐρανόθεν, non tradux semine, ut de reliquis animantibus, de quibus tamen in universum Maro *igneus*, inquit, *est ollis vigor et coelestis origo*. Igitur omnia perfectis numeris iucludi, si Platoni credimus, confitendum sit. Demus tamen Academicis, quod impium est, haec terrestria quae tractamus, aliunde quam ab omnipotente Deo ortum habuisse; an propterea perfecti numeri, uti praestantiores, rebus divinis tribuantur? at potius terrestribus perfecti numeri convenirent, quia perfecti numeri quotquot sunt, pares sunt, foeminae sunt; alioqui perfecti non essent. nec plures sunt quatuor intra centum millia. Supraperfecti quoque sunt numeri; sed qui nec ad res divinas, nec ad humanas aut terrestres accommodari possint. Cum igitur senarius sit primus perfectorum, rebus divinitus procreatis congruere debuisset, ex Platonis sententia. videmus tamen vilissimis animantibus convenire. lepores enim, legibus divinis immundum animal et sancto populo vetitum, 6. annos ad summum vivere scribit Aristoteles. totidem annos muribus immundissimis idem tribuit. Insectis quoque muscarum generibus quibusdam, puta vespis et apibus, sex anni à Marone tribuuntur, et alvearia ipsa sexangulari figura semper constructa. quae tamen animalia, excepto lepore, putredine concrescunt. At *numero Deus impare gaudet*, ut ait Poeta: et impares numeri maribus tribuuntur. Nam quod Seneca scribit, *Septimus quisque annus aetati notam imprimit*, de maribus tantum dictum est: nam foeminis annus quisque sextus aetati notam aliquam indidit, ut cum mares anno decimo quarto, foeminae duodecimo pubescant. Feriae quoque divinae omnes septenariis aut imparibus numeris concluduntur. nascuntur etiam quam plurimis in locis adamantes sexangulo laevore ab ipsa natura distincti, ut Plinius lib. 33. (37, 15. *Hard.*) prodidit: idque contritum est in Pyrenaeis. Est igitur absurdum quod Plato rerum divinarum origines et occasus perfectis numeris tribuit. At

Porphyrius, Philosophorum suae aetatis clarissimus, cum illud Platonis ex Timaeo interpretaretur, τοῖς μὲν Ἀθηναίοις ἐνενηκοντάκις, scribit rerum omnium publicarum status, ac daemonum vitam, ad summum 1000 definiri. Plutarchus in libro περὶ τῆς ἐν τῷ Τιμαίῳ ψυχογονίας longius progredi putat daemonum vitam: sed neuter perfectos numeros conquisivit. Quod si Plato in tanta perfectorum numerorum paucitate, qui rebus divinitus ortis conveniret, explicare non potuit, quibus tandem numeris rerum humanarum tantam varietatem expediret? aut si numerum illum scisset, cur à musis precaretur, ac vota faceret, ut numerum illum indicarent? Quamquam necesse est, ex verbis Platonis non unum aliquem numerum, sed corpus geometricum exprimere voluisse, in cuius lateribus ac dimetientibus omnis (in libro perperam editum est *annis*) illa numerorum varietas, quam hac tabella complexi sumus, contineatur: (tabellam omisimus, quoniam a diagrammate Fabri, quod infra descriptum est, non differt, nisi eo, quod numeros perfectos secundum Bodini interpretationem rebus divinis proprios ab humanisque excludendos non habet.) quia geometrica ratione numerum confiari scribit, nec rationes surdae sive ineffabiles ullae in numeris comperiuntur. Corpus tamen illud perfectum esse non potest, cum sex omnino perfecta sint, nec plura excogitari possint corpora in tota rerum natura, scilicet globus, Pyramis, cubus, octaedrum, dodecaedrum, icosaedrum. At cum Plato altera longiorem quaeri iubet, satis indicat numerum illum perfectis corporibus, quae usquequaque aequabilia suiquę quam simillima sunt, congruere non posse. Non est etiam parallelepipedum, cuius definitio repugnat cubo: centesimus autem cubus à Platone proponitur in eo corpore solido: nec cylindrus, cuius extrema sunt circularia; nec item prisma, cum extrema prismatis latera sint aequalia, tresque pyramides semper complectatur: at in corpore geometrico Platonis, partim inaequalia sunt inter se latera, partim aequalia. Quod si quis putet corpus solidum esse in cuius extremis sint orthogoni scaleni (scribere debebat *orthogona scalena*) sesquitertia ratione quinario coniuncta hunc in modum:



nusquam tamen dimetientium incommensurabilium, nec eorum numerorum qui hic à Platone proponuntur, ulla meatio exstabit: nec si corpus illud duplicaveris hoc modo:



idque protendas in denarium aut amplius, nulla ratio incommensurabilis alteri existet, nec quadratum, nec cubus: nec dimetientes illi effabiles et ἀῤῥήτους, quos Plato proposuit, exsurgunt: sed omnia geometriae legibus inter se comparata, mensuram admittunt, nec tantum in magnitudine, sed etiam in numeris. nam quadratorum parium diameter, duplo et unitate plus potest quam latus: quadratorum vero imparium unitate minus potest quam duplum in numeris, cum tamen in geometricis rationibus semper hypotenusa duplum utriusque lateris orthogoni potestate contineat. Id autem perpetua serie numerorum perspicuum est: si latus quadrati primi diametro coniunxeris, sequentis quadrati latus exsurget. Verbi gratia, unitas primi quadrati latus est, eademque sui ipsius diameter: si unitati coniunxeris unitatem, exsurget binarius, radix quadrati sequentis. Diameter vero secundi quadrati conficitur, si praecedentis quadrati diametro duplicatum latus adiunxeris. Cum enim primi quadrati latus sit unitas, dimetiens quoque unitas, si unitati bis unitas addatur, exsurget ternarius, secundi quadrati dimetiens. Aut si radicem quadratorum inquiris, duplicatum secundi quadrati latus, et praecedentis latus coniunctum, efficit radicem quadrati sequentis; ut binarius duplicatus cum radice primi quadrati, quae est unitas, efficit quinarium, radicem quadrati sequentis. Sic quoque duplicato diametro, et antecedentis quadrati diametro coniuncto, efficies diametrum sequentis quadrati. ut (quam) ternario secundi quadrati diametro adieceris unitatem, primi quadrati diametrum, exsurgit septenarius dimetiens tertii quadrati. Quo fit ut omnium quadratorum dimetientes sint impares et latere sui quadrati maiores differentiâ lateris praecedentis. Caeterorum vero quadratorum seu parium, seu imparium, qui diametros habent ineffabiles, id est ἀῤῥήτους, quas nostri inepte *surdas* appellant, quod nullo numero designari possint, geometricis demonstrationibus rationes perspicuae sunt. Haec autem dimetientium cum lateribus incommensurabilis ratio nusquam reperiatur in solido corpore superius proposito: quantumvis contrahatur. Hic dicet aliquis, centesimum cubicum procreare 1000000 et in solidi corporis figura exprimi posse, cuius denarius sit linea, centenarius superficies, mille vero corpus denarii: rursus denarii linea sit centum; quae in se ducta centies centum efficiat, hoc est, decem millia, superficiem (centenarii, quae ipsa denuo multiplicata per centenarium millies mille) procreabit, corpus centenarii: eumque cubum esse τριάδος Platonicae. (in libro ea, quae inter *superficiem* et *procreabit* interpolavimus, non exstant; sed quilibet videt sine iis aut similibus orationem mancam et mutilam esse.) Demus illud certe: nusquam tamen in eius cubi lateribus illa varietas numerorum parium, imparium, oblongorum, lateralium, solidorum et dimetientium incommensurabilium reperiatur. Quodsi quis ex orthogono scaleno 3, 4, 5, effici putet 12, numerum in sese concentus omnes complectentem; et radicem esse magni numeri, quem fatalem nonnulli putarunt, scilicet 1728: cui si detrahatur prior numerus,

1, eique addatur unitas, relinquetur novenarii cubus 729: est illud quidem partim verum: partim in coniectura positum: non tamen efficit eam quam ex Platonis verbis inquirimus dimensionum rationem. Multo minus caetera corpora non rectangula conveniunt. Quae à nobis accuratius exquisita sunt; ut planum sit ex partium singulari enumeratione nullum corpus geometrica ratione coagmentatum ad eas, quas Plato posuit, numerorum rationes accommodari posse: ut rerum humanarum periodos ac fines ex his eliciamus. Denique ut planum sit Platonem eo loco sui ipsius oblitum esse, satis indicant rationes geometricae ineffabiles, quas eo corpore complecti voluit, quod ab arithmeticis rationibus ac numeris plane est alienum. Altius igitur intuentem oportet eos numeros investigare qui rerum humanarum conversiones significare possint, et qui diuturna experientia probati sint, non levibus et inanibus coniecturis: eiusmodi septenarium esse statuo, et novenarium, (et) eorum quadratos et cubicos 49. 81. 343. 729. Vt enim senarius qui primus est omnium perfectorum, mores foeminarum aut habitum ac naturam immutat, ita septenarium mares quodammodo immutare antiquissima vetustas comprobavit; et ut septenarius ac novenarius hominibus initium nascendi tribuere solent, ita quoque numerus ex utriusque propagatione coalescens exitum afferre consuevit. Idem ego ad Respublicas transfero, ut numeri septenarii ac novenarii quique ex eorum quadratis et cubicis existant, Rebuspublicis saepius occasum et interitum afferunt.

Bodini sententiam summam collegit Bredelo in dissertatione supra commemorata inde a §. 31. sed errorum ab eo commissorum unum tantum notat §. 62. negans τέλειον Platonis ἀριθμὸν arithmeticorum perfectum numerum esse: de numero rebus publicis fatali quale Bodini iudicium sit, aut quid ipse iudicet, non ostendit, nisi quod in extremo libello Davum se non Oedipum profitetur. Itaque ne nobis quidem plura de eo dicenda sunt. Si cui tamen libeat dissertationem ipsam inspicere, asserveri eam scito in honestissimae Societatis Silesiacae bibliotheca mathematicis libris instructissima.

Post Bredelonem qui dedita opera Platonicum locum tractaverit, aut etiam aliquid ad inveniendum numerum utile contulerit, nos quidem scimus neminem praeter Kleukerum, cuius Germanicam Graecorum interpretationem, quum serio cogitasse auctorem et nonnulla certe rectius, quam alios, intellexisse ostendat, adscribere non supervacaneum putavimus. Der Umkreis der göttlichen Zeugungen hält eine vollkommene Zahl in sich: aber mit der periodischen Zahl der menschlichen Zeugungen verhält es sich so, daß die Vermehrungen der Grundzahl, nämlich drei potentiirende und potentiirte Fortrückungen zur Vollendung, welche vier unterschiedene Bestimmungen des Aehnlichen und Unähnlichen, des Wachsenden und Abnehmenden annehmen, alles in gegenseitigen Beziehungen und ausgedrückten Verhältnissen darstellen. Die Grundzahl dieser Verhältnisse, nämlich die Einsdrei (Viere) mit der Fünfe verbunden, giebt, nach dreifacher Vermehrung, eine zwiefache Harmonie; (die

man das Diatessaron und Diapente nannte.) eine gleiche ins Gevierte, als hundert in der Länge und hundert in der Breite; eine andere, die zwar von gleicher Länge ist, aber mit Verlängerung der einen Seite, so daß zwar auch hundert an der Zahl, nach dem diametrischen Ausdruck der Fünfen darin liegen, wovon aber jede dieser Fünfen noch eine bedarf, und zwei Seiten unausgedrückt sind: hundert aber folgen aus den Kuben der Dreiheit. Diese ganze Zahl ist nun geometrisch, und regiert über die vollkommneren oder unvollkommneren menschlichen Zeugungen. Wenn diese aber von euern Schutzhütern des Staats nicht erkannt werden, und sie also Jungfrauen und Junggesellen zur Unzeit ehelich verbinden, so werden keine gutgebildete und segensvolle Kinder entstehen. Haec etsi non satisfaciunt, tamen certam sententiam produnt, cuius etiam exspectationem vir doctissimus in annotatione ad hunc locum movit, copiam nondum, quod sciam, fecit. Alii, qui nostra aetate scripserunt, ignorantiam suam aut aperte confessi sunt aut callide dissimulaverunt aut leviter excusarunt. His igitur silentio transmissis ad antiquos illos nos convertimus, quorum notitiam Francisco Barocio debemus, cuius ex libro nunc satis cognito, quae de variis eorum opinionibus agunt, haec excerpsimus:

Nunc ad aliorum interpretum expositiones nos conferamus, ut eis declaratis, atque confutatis, eò magis praesens nostra huiusce loci expositio confirmetur. Quoniam igitur ut ab initio diximus, clarissimorum autorum de hoc Platonis loco sermonem habentium alii quidem locum ipsum tantummodo tetigerunt, et nihil ad eius intelligentiam dixerunt, alii verò breviter eum exposuerunt, multaque praetermiserunt: de iis, qui locum duntaxat attigerunt, nil mihi dicendum est: at de iis, qui locum exponere conati sunt, in praesentia sum verba facturus. Cùm autem Iacobus Faber Stapulensis omnium in hac re diligentissimus fuerit, idcirco primùm quidem eius expositionem diligenter examinabo, deinde caeterorum etiam expositiones paucis expediam. Quoad expositionem itaque Fabri, sciendum est, quòd ipse non explicuit quaenam sit in hoc loco Platonis intentio, nec eius sententiam verbis ipsis applicavit, ut nos in praecedentibus fecimus; sed ipsorum tantùm verborum Platonicorum significationes declaravit, quod nos etiam in superioribus egimus antequam Platonis mentem aperiremus. in exponendis autem verbis ipsis alia quidem optimè declaravit, alia verò quamvis acutissimè non tamen rectè, aliáque demum omnino silentio involvit. nec admirandum esse censeo quòd tantus vir omnia consequi non potuerit, quoniam et locus (ut iam vidimus) obscurissimus est, et non omnia possumus omnes, quandoque enim bonus etiam dormitat Homerus. in primis igitur universam eius expositionem recensebo, deinde quaenam ab eo rectè, et quae malè exposita, quaeque penitus praetermissa sint, ostendam. Clarissimus igitur iste vir hunc in modum verba Platonis explicat. Primò exponit verbum illud graecum ῥιζοῦσθαι, et ait quòd quatuor significare potest, scilicet radicem, propaginem, fundum, et solidum; quódque his quatuor modis

vocabulum hoc à diversis latinè redditum fuit. nam Marsilius quidem radicem, alii verò (Fabro referente) propaginem, Thermacides autem fundum, Leonardus demum Cubum (qui est numerus solidus) vertit. Verùm ait Faber, quòd in praesentia sive radix, sive propago, sive fundum vertatur rectè vertitur (ut nos etiam in superioribus adnotavimus) Cubus autem hic nullo modò converti potest, cùm hoc vocabulo πυθμὴν Plato septenarium intelligat, qui neque Cubus, neque prorsus solidus numerus esse potest. Secundò declarat Faber quòd ambitus, circuitusque circulorum, de quibus Plato loquitur, sunt orbium coelestium motus, utputa motus septem planetarum, et caeterarum sphaerarum; aitque Platonem loqui iuxta mentem priscorum Astrologorum volentium, ac praecipientium horas gignendi prosperas eligi stellarum, praecipueque septem planetarum observationibus; nec non motus, atque circuitus, qui in illis fiunt horis agnosci: tum ut omnia, quae gignuntur, prosperè nobis succedant; tum ut eorum opificis Dei Optimi Maximi summam sapientiam, potentiam, et providentiam admiratione prosequamur. Quod sanè (inquit Faber) quamvis liberale sit: vaticinari tamen ex illis, futuráque praesagire, et quaerere quae in divino secreto recondita sunt; vanum prorsus, à religionéque alienum est. Tertiò praeterea declarat quisnam sit numerus perfectus, de quo in praesentia Plato sermonem habet: et ait, quòd alii quidem volant Platonem numerum perfectum hic intelligere numerum seculorum, annorum, mensium, dierum, atque horarum qui soli Deo cognitus est: alii verò tanquam quippiam impudens coarguunt, quippe qui divinis non interfuerit consiliis ut momenta seculorum agnosceret, quae pater in sua potestate posuit. Quartò exponit quas vocet Plato augumentationes superantes, quasque superatas: et ait superantes quidem augumentationes Platonem in praesentia dicere Rationes maioris Inaequalitatis, superatas verò minoris Inaequalitatis Rationes. Quintò ait distantias quidem Platonem appellare ipsa Rationum intervalla: terminos verò eos numeros, inter quos intervalla illa cadunt. Sextò declarat quid sibi Plato vult illis verbis: „*similantium et dissimilantium, crescentium et decrescentium*" et ait Platonem similantes, et dissimilantes quidem eos hic appellare numeros, quos omnes Arithmetici Similes, et Dissimiles nuncupant: crescentes autem, et decrescentes eos, quos illi Abundantes, et Diminutos vocant. Septimò exponit quaenam sint duae harmoniae, de quibus Plato loquitur, et ait eas esse Diatessaron, et Diapente, quae in Sesquitertia, Sesquialteráque Rationibus consistunt. quarum utique Rationum Sesquitertiam quidem continet in se numerus septenarius, qui ex ternario, et quaternario componitur: Sesquialteram verò quinarius in se comprehendit, quippe qui ex binario, et ternario coalitus est. has autem duas Harmonias (inquit Faber) exhibet nobis ipse septenarius quinario coniunctus, duodenariumque constituens. Octavò ait Platonem nominasse centum centies ipsum numerum fatalem, et ait eum dixisse centum centies, et non decem millia (idem enim est) ut

ostenderet eum decem millia numerum esse superficiem Cubi à numero centenario producti scilicet ipsius millena millia numeri Cubi, quippe qui ex constat quadratis, quorum unumquodque continet in area sua centum centies, hoc est decem millia parva quadrata. Nonò inquit Platonem appellasse Cubum trinitatis ipsum millena millia Cubum à centenario productum: duasque huius appellationis assignat rationes. primò quoniam à centenario producitur, qui tertia unitas est, secundò quoniam omnis Cubus trinitatem habet in sua productione, cùm in eo producendo ter fiat unius, eiusdemque numeri replicatio, sive repetitio; iuxta scilicet ipsius Cubi longitudinem, latitudinem altitudinemque generandam. ut bis duo bis, ter tria ter, quater quaterna quater; Cubos 8, 27, et 64 nobis procreant. His itaque duabus rationibus, inquit Faber ipsum millena millia Cubum à Platone Cubum trinitatis appellari, quarum profectò rationum secunda quidem per se patet, prima verò declaratione quadam indiget, quae sit huiusmodi. Tres ponit Faber unitates, quarum primam quidem eam esse dicit, quae re vera unitas est, punctóque Geometrico correspondet, quaeque virtute potest accipi, et tanquam punctum, scilicet tanquam indivisibilis unitas: et tanquam linea, videlicet tanquam numerus Superficialis: ac demum quatenus corpus, hoc est quatenus numerus Solidus. Secundam autem unitatem Faber ait esse Denarium: tertiam verò centenarium numerum, hac scilicet ratione. posita enim (inquit) prima unitate pro puncto, erit utique denarius ut linea, et centenarius ut superficies, et millenarius ut corpus. nam quemadmodum in Geometria quidem ex fluxu puncti fit linea; et ex motu lineae in latitudinem, scilicet ipsius in alias lineas multiplicatione creatur superficies; nec non ex superficiei in altitudinem, hoc est eius in plures superficies multiplicatione producitur corpus: ita etiam in Arithmetica ex unitatis propagatione gignitur numerus Linearis, et ex multiplicatione Linearis numeri fit numerus Superficialis, ex ipsiusque numeri Superficialis multiplicatione fit solidus numerus. Posito rursus (inquit Faber) denario pro secunda unitate, quae puncto correspondeat; erit nimirum centenarius ut linea, et decem millia ut superficies, millena millia ut corpus rationibus iam dictis. Similiter autem si centenarius pro unitate, quae puncto correspondeat ponatur, erit iuxta hunc ordinem unitas tertia centenarius ipse, à quo numerus millena millia Cubus oritur, atque propterea Cubus trinitatis (inquit Faber), à Platone vocatur. Talis igitur est primae ipsius Fabri ratio. cuncta verò haec quae pro huiusce rationis explicatione diximus in subscripto patent exemplo.

PVNCTVM	. 1	VNITAS PRIMA
LINEA	— 10	
SVPERFICIES	□ 100	
CORPVS	▱ 1000	CVBVS DENARII
PVNCTVM	. 10	VNITAS SECVNDA
LINEA	— 100	VNITAS TERTIA
SVPERFICIES	□ 10000	
CORPVS	▱ 1000000	CVBVS CENTENARII

Decimò ait, duas quidem Diametros quinitati comparabiles, atque proportionales Platonem dixisse Latus et Diametrum primi in numeris expressi Quadrati, scilicet binarium, ac ternarium, qui inter se comparationem habent Sesquialteræ Rationis, id est harmoniæ Diapente, et simul conjuncti quinarium efficiunt: duas verò incomparabiles, et improportionales ait Platonem dixisse Latus, et Diametrum tertii Quadrati, nempe quinarium, et septenarium, qui non habent comparationem in Ratione cuiusdem harmoniæ, sicut duo primi iam dicti numeri. Vndecimò potiorem quidem generationem à Platone vocari dicit aureum genus, id est prolem eam, quæ à duobus bonis genitoribus; deteriorem verò eam, quæ à duobus malis fit. Duodecimò ait Faber, quòd Plato dixit suum Geometricum numerum magnam vim habere ad prolem bonam, et non bonam, quia in eo sunt Impares numeri et Pares: Aequilateri, Inaequilateri: Plani, Oblongi: Solidi, Laterales, Diametrales: consonantiæ potiores, et deteriores; quoniam (inquit) vult Plato ex duobus bonis prolem nasci bonam, ex duobus autem malis malam: ex bono verò, et malo, neque omnino bonam, neque omnino malam: bonos autem (inquit) numeros intelligunt Platonici, et Pythagorei Aequilateros, Quadratos, Cubos, Perfectos, Impares, et id genus; oppositos verò iam dictis censent malos. Tertiodecimò dicit Faber magnum unum numerum fatalem Platonis, ipsum scilicet Geometricum esse iuxta communem omnium sententiam mille septingenta vigintiocto Cubum ipsius duodenarii, quem ait ipse Faber produci; tum ex duodenario, qui est eius radix Cubica; tum ex radice Cubica ipsius 729 numeri Cubici, quæ est novenarius; tum etiam ex radice Cubica ipsius viginti septem Cubi, quæ ternarius est. Verùm quomodo quidem ex duodenario producatur manifestum est, cùm eius Cubus sit; duodecies enim duodecim, centum quadraginta quatuor et duodecies centum quadraginta quatuor, faciunt mille septingenta vigintiocto. Quomodo verò ex novenario quoque, ternarióque producatur, tali Faber declarat exemplo. Si (inquit) ab ipso 1728 numero Geometrico prima figura dematur, quae est unitas, et residuo, id est ipsi 728 eadem unitas adiiciatur; dubio procul numerus 729 creabitur, qui est novenarii Cubus. novies enim novem, octoginta unum; et novies octoginta unum, reddunt septingenta vigintinovem. Similiter (inquit ipse) si ab eodem 1728 Geometrico numero auferan-

tur duae primae figurae, quae sunt 17, relinquuntur 28; à quo numero si detrahatur unitas, supererit 27 Cubus ternarii. ter enim tria, novem; et ter 9, vigintiseptem faciunt. quod autem ait Faber, tale est. sit à novenario productus Cubus 729, à quo unitas auferatur, remanebit numerus 728; in cuius principio si ponatur unitas, producetur ipse 1728 Geometricus numerus. Ecce quomodo numerus ipse Geometricus ex novenario producitur. Sit praeterea Cubus à ternario productus 27, cui addatur unitas, fient 28; ante quem numerum si ponantur hae duae figurae 17, creabitur iterum numerus 1728 Geometricus, ut in subscripto videri potest exemplo.

NVMERI CVBICI	1728	729	27
LATERA CVBICA	12	9	3

Hoc igitur modo Faber numerum Geometricum ex tribus Cubicis Radicibus ternario scilicet, novenario, duodenarióque producit. Quoniam autem (inquit Ipse) tres istae Radices, nempe 3, 9, et 12 maximam in se dignitatem habent, propter multas (quas ipse ibi narrat) ternarii, novenarii, duodenariique perfectiones; idcirco iam dicti tres Cubi rerum statum designant. Quoniam verò ex tribus iam dictis Cubis unus est ipse mille septingenta vigintiocto Geometricus numerus, quippe qui ex duobus etiam reliquis dictorum trium Cuborum (ut vidimus) producitur: propterea (inquit Faber) numerus ipse Geometricus complementum, statumque universorum apud Platonicos significat; qui sanè status (inquit ipse) quando adveniet, soli DEO cognitum est. Quartodecimò docet ipse Faber regulas illas pulcherrimas, quas à Theone Smyrnaeo excerpsit, quibus utuntur Arithmetici ad inveniendos numeros Laterales, et Diametrales Quadratorum tum Effabiles, tum Ineffabiles, ut nos etiam in superioribus docuimus. Quintodecimò et ultimò postquàm haec omnia Faber ita declaravit, adiecit magnum Platonis Diagramma, de quo mentionem fecit Aristoteles prope finem quinti Politicorum, ubi dicebat *„quando numerus Diagrammatis huiusmodi efficiatur Solidus.“* Platonis autem Diagramma nil aliud est, nisi figura quaedam, in qua describitur ad denarium usque species unaquaeque numerorum, de quibus in praesenti loco Plato sermonem habet; ut omnes hosce Platonicos numeros in illa figura tanquam per compendium descriptos affigere memoriae possimus. Magnum itaque Platonicum Diagramma, quod Faber in medium attulit, est huiusmodi.

PVNCTVM	. 1	VNITAS PRIMA
LINEA	— 10	
SVPERFICIES	□ 100	
CORPVS	▱ 1000	CVBVS DENARII
PVNCTVM	. 10	VNITAS SECVNDA
LINEA	— 100	VNITAS TERTIA
SVPERFICIES	□ 10000	
CORPVS	▱ 1000000	CVBVS CENTENARII

Decimò ait, duas quidem Diametros quinitati comparabiles, atque proportionales Platonem dixisse Latus et Diametrum primi in numeris expressi Quadrati, scilicet binarium, ac ternarium, qui inter se comparationem habent Sesquialteræ Rationis, id est harmoniæ Diapente, et simul conjuncti quinarium efficiunt: duas verò incomparabiles, et improportionales ait Platonem dixisse Latus, et Diametrum tertiæ Quadrati, nempe quinarium, et septenarium, qui non habent comparationem in Ratione cuiusdem harmoniæ, sicut duo primi fœtus dicti numeri. Vndecimò potiorem quidem generationem à Platone vocari dicit aureum genus, id est prolem eam, quæ à duobus bonis genitoribus; deteriorem verò eam, quæ à duobus malis fit. Duodecimò ait Faber, quòd Plato dixit suum Geometricum numerum magnam vim habere ad prolem bonam, et non bonam, quia in eo sunt Impares numeri et Pares: Æquilateri, Inæquilateri: Plani, Oblongi: Solidi, Laterales, Diametrales: consonantiæ potiores, et deteriores; quoniam (inquit) vult Plato ex duobus bonis prolem nasci bonam, ex duobus autem malis malam: ex bono verò, et malo, neque omnino bonam, neque omnino malam: bonos autem (inquit) numeros intelligunt Platonici, et Pythagorei Æquilateres, Quadratos, Cubos, Perfectos, Impares, et id genus; oppositos verò iam dictis censent malos. Tertiodecimò dicit Faber magnum unum numerum fatalem Platonis, ipsum scilicet Geometricum esse iuxta communem omnium sententiam *mille* septingenta vigintiocto Cubum ipsius duodenarii, quem ait ipse Faber produci; tum ex duodenario, qui est eius radix Cubica; tum ex radice Cubica 729 numeri Cubici, quae est novenarius; tum ex radice Cubica ipsius viginti septem Cubi, quae ternarius est [illegible] quomodo quidem ex [illegible] duodenario producatur manifest[illegible] eius Cubus sit; duodec[illegible] duodecim, cen[illegible] tior et duodecies ce[illegible] ginta genta vigintiocto. producatur, tali F[illegible] mero Geometric[illegible] id est ipsi 72[illegible] creabitur, qu[illegible] unum; et no[illegible] Similiter (i[illegible]

tur duae primae figurae, quae sunt 17, relinquuntur 28; à quo numero si detrahatur unitas, supererit 27 Cubus ternarii. ter enim tria, novem; et ter 9, viginti septem faciunt. quod autem ait Faber, tale est. sit à novenario productus Cubus 729, à quo unitas auferatur, remanebit numerus 728; in cuius principio si ponatur unitas, producetur ipse 1728 Geometricus numerus. Ecce quomodo numerus ipse Geometricus ex novenario producitur. Sit praeterea Cubus à ternario productus 27, cui addatur unitas, fient 28; ante quam numerum à ponatur hae duae figurae 17, creabitur iterum numerus 1728 Geometricus. et in subscripto videri potest exemplo.

NVMERI CVBICI	[illegible]	[illegible]	[illegible]
LATERA CVBICA	[illegible]	[illegible]	[illegible]

Hoc igitur [illegible] tres Cubi [illegible] Cubis [illegible] Quadrilatera [illegible] Theone Sagittarii [illegible] Platonis Diagramma [illegible] er- [illegible] non- [illegible] nobilis [illegible] c intelli- [illegible] um, men- [illegible] cit Plato in [illegible] commodat annis, [illegible] aratione perspicuum [illegible] xtum capita, in quibus [illegible] em augumentationes supe- [illegible] termini quatuor; nec non si- [illegible], et decrescentes numeri: rectè [illegible] m nos in superioribus exposuimus. [illegible] uas harmonias, de quibus Plato [illegible] te in Rationibus Sesquitertia, [illegible] quòd hic etiam malè verba,

DIAGRAMMA AD DENARIVM VSQVE SECVNDVM FABRVM

	Foeminae.	Mares.	Diametrales.	Numeri Sphaerales, seu Sphaerae decem.	Solidi: Cubi decem.	Quadrati.	Aequilateri Trigoni Plani.	Latitudo.	Longitudo.	Dissimiles, et iidem Oblongi, et Inaequilateri Plani.	Latitudines.	Longitudines.	Similes in Ratione Sesquialtera Plani Oblongi.	Diminuti.	Abundantes.	Superati.	Superantes.	Numeri Perfecti.
1	6	10	1	12	2	6	3	2	6	3	2	3	1	1	125	1	3	2
2	28	9	2	18	4	24	6	4	8	4	2	6	4	8	216	3	5	4
3	496	8	3	20	8	54	9	6	12	4	3	10	9	27	625	7	7	6
4	8128	7	4	24	10	96	12	8	15	5	3	15	16	64	1296	17	9	8
5	130816	6	5	30	16	150	15	10	20	5	4	21	25	125	3125	41	11	10
6	2096128	5	6	36	22	216	18	12	24	6	4	28	36	216	7776	99	13	12
7	33550336	4	7	40	26	384	24	16	30	6	5	36	49	343	15625	289	15	14
8	536854528	3	8	42	32	600	30	20	35	7	5	45	64	512	46656	577	17	16
9	8589869056	2	9	48	34	864	36	24	42	7	6	55	81	729	78125	1393	19	18
10	137438691328	1	10	54	38	1536	48	32	48	8	6	66	100	1000	279936	3363	21	20

PLANI

CENTESIMVS CVBVS

1000000

Et haec pro obscuris numeris Platonis.

Haec itaque mihi videtur esse tota Iacobi Fabri Stapulensis in hunc locum expositio, de qua iudicium nostrum nunc afferendum est. Verùm ut id commodè fieri possit, rursus quindecim illa iam enarrata capita percurremus, ac primùm ponderabimus quaenam à Fabrò rectè, quaéque malè dicantur. deinde quae penitus ab eo praetermissa sint, ostendemus. Quoad primum igitur dico quòd omnia, quae Faber de verbo illo Graeco πυθμὴν dixit, rectè sese habent; sic enim et nos illud exposuimus. Quoad secundum autem, ubi ait quod ambitus, circuitusque circulorum sunt intelligendi motus orbium coelestium;

eosque voluisse Platonem in generationibus humanis observari iuxta mentem Priscorum Astrologorum etc. Dico quòd Faber in hoc tripliciter erravit; primò quoniam duo haec verba *ambitus* et *circuitus* tanquam unum accepit, cùm tamen apud Platonem diversa sint diversisque in locis legantur, ut in superioribus nos declaravimus. nam alterum quidem legitur ibi: *quando revolutiones singulis rebus circulorum coniunxerint ambitus*, alterum verò aliquantulum inferius ibi: *est autem ei, quod divinitus genitum est circuitus etc.* secundò erravit quoniam haec duo verba *ambitus circulorum*, et *circuitus* tanquam unum ab eo suscepta malè exponuntur. Ambitus enim circulorum in hoc loco non significant motus orbium coelestium, sed conversiones circulares generationis, corruptionisque rerum omnium, quae oriuntur, et intereunt, ut nos in superioribus exposuimus: circuitus verò in eo loco, ubi apud Platonem legitur, significat motum illum tardissimum secundi mobilis, ut ibi diximus. Tertiò erravit Faber, cum dicit Platonem loqui iuxta mentem priscorum Astrologorum volentium horas gignendi prosperas eligi stellarum observationibus, etc. Haec enim non est ipsius Platonis sententia, imò (ut nos in superioribus declaravimus, utque ex verbis Platonis apertissimè constavit sic) horas ipsas gignendi bonas, et malas: in quibus bonae, et malae generationes fiunt, Plato dixit etiam sapientibus ignotas esse; quod quidem bis quoque replicavit, ut ab eodem Platone in superioribus audivimus. Hos itaque tres evidentissimos errores, circa hoc secundum caput Faber commisit. Quoad tertium, ubi dicit iuxta quorundam expositionem, quòd numerum perfectum intelligit Plato numerum seculorum, annorum, mensium, dierum atque horarum, qui soli DEO cognitus est, etc. Dico quòd non intellexit hic Faber mentem Platonis, quoniam non loquitur Plato de numero seculorum, annorum, mensium, dierum atque horarum, quando scilicet ait *est autem ei, quod divinitus genitum est circuitus, quem numerus continet perfectus* sed pro numero perfecto intelligit Plato numerum 49 multas perfectiones habentem, iuxta quem secundum Platonicorum, et Alphonsinorum opinionem (ut in superioribus diximus) motus secundi mobilis perficitur. Verùm deceptio eorum, qui dicunt Platonem hic intelligere numerum perfectum esse numerum seculorum, annorum, mensium, dierum, atque horarum, orta est ex iis, quae dicit Plato in nono de Rep. ubi numerum suum Geometricum accommodat annis, mensibus, diebus et noctibus, ut in illius loci declaratione perspicuum nobis erit. Quoad quartum, et quintum, et sextum capita, in quibus declarat Faber quaenam sint apud Platonem augumentationes superantes, et superatae; distantiae tres, et termini quatuor; nec non similantes, et dissimilantes, crescentes, et decrescentes numeri: rectè omnia haec expesuit, sic ut etiam nos in superioribus exposuimus. Quoad septimum autem, ubi Faber duas harmonias, de quibus Plato loquitur, ait esse Diatessaron, et Diapente in Rationibus Sesquitertia, Sesquialteràque consistentes, etc. Dico quòd hic etiam malè verba,

mentemque Platonis explicuit. quanvis enim verum sit quòd septenarius quinario coniunctus, duodenariumque producens duas nobis praebet harmonias, nempè Diatessaron, et Diapente, quae in Rationibus Sesquitertia septenarii, et Sesquialtera quinarii consistentes intra duodenarium comprehendantur: nihilominus haec expositio non est ad propositum, quoniam verbis ipsius Platonis minimè quadrat. mox enim declarans Plato duas illas harmonias, ait unam quidem earum esse aequalem aequaliter, centum centies; alteram verò aequalis quidem longitudinis, sed praelongiori etc. ut in superioribus audivimus, quibus porrò Platonis verbis mea quidem sententia Fabri expositio nequaquam accommodari potest. Quoad octavum, ubi dicit Platonem nominasse centum centies ipsum numerum fatalem, etc. Dico quòd falsum dicit, primò enim verbum hoc *fatale* in litera Platonis non legitur, deinde, si legeretur, nullus alius numerus à Platone fatalis appellaretur, nisi ille 1728 numerus Geometricus, quippe qui rerum *status*, ortum, atque interitum significat. Quare nullo modo Plato centum centies numerum fatalem vocavit, cùm ipse centum centies, hoc est decem millia numerus ab ipso 1728 verè fatali numero maximè differat. Quoad nonum, ubi Faber inquit Platonem appellasse Cubum trinitatis ipsum millena millia Cubum à centenario productum duabus illis rationibus adductis à Fabro, quas iam declaravimus: dico quòd maximè decipitur. quanvis enim ea, quae dicit acutissima, ingeniosissimaque sint: attamen huic loco non conveniunt, quippe cùm ipse Plato non de unico tantum Cubo trinitatis (ut Faber volvit) hic loquatur, sed de centum Cubis trinitatis, ex quibus secundam duarum harmoniarum constare dicit. Undè si Cubum trinitatis accepisset hic Plato pro Cubo centenarii (ut Faber vult) sequeretur ex verbis Platonis, quòd ipsa secunda harmonia constaret ex centum Cubis centenarii, qui faciunt centies millena millia. quòd autem neutra ex duabus Platonis harmoniis hunc in se numerum contineat, tum iuxta neutram vocum duarum harmoniarum declarationem, tum etiam iuxta falsam Fabri earundem expositionem perspicuum est, neque enim duo numeri decem millia, et millena millia; neque duae Rationes, Sesquitertia, et Sesquialtera numerum ipsum centies millena millia in se comprehendere possunt. Quoad decimum ubi ait Faber duas quidem Diametros quinitati comparabiles, atque proportionales Platonem dixisse Latus, et Diametrum primi in numeris expressi Quadrati; etc. Dico quòd circa hoc etiam hallucinatur magnopere Faber. nam primò quidem malè legit Platonis literam, cùm ipse legat *à Diametris comparabilibus quinitati singulis indigentibus uno, duobus verò, qui non sunt comparabiles* ubi tamen legendum est *ex Diametris Effabilibus quinariis indigentibus uno singulis, duobus autem Ineffabilibus* ut nos in superioribus legebamus: secundò verò cùm literam ipsam malè legat, necessariò malè quoque mentem Platonis explicat. nam ea, quae de Diametris Faber exposit, haudquaquam iis, quae Plato de Diametris ait, convenire meo quidem iudicio possunt, ut cuilibet etiam literam

Platonis rectè legenti perspicuum esse poterit. quo modo autem hæc Platonis verba sint intelligenda nos in superioribus diximus. Quoad undecimum, et duodecimum capita, ubi Faber exponit, quæ sit apud Platonem potior, deteriorque generatio: nec non cur Plato dicat numerum suum Geometricum magnam habere vim ad prolem bonam, et non bonam, etc. Dico quòd hæc duo capita rectè declaravit; quoniam ea, quæ dicit ipse Faber, à nostris etiam superioribus expositionibus non dissentiunt. Quoad tertiumdecimum caput, ubi Faber affirmat magnum numerum fatalem Platonis iuxta communem omnium sententiam esse ipsum 1728. ipsumque produci ex tribus Radicibus Cubicis, etc. ut ibi declaravimus: dico quòd omnia, quæ dicit ibidem Faber vera sunt. Sed primum quidem sibi contradicit, quando quidem superius dixerat Fatalem numerum à Platone vocari centum centies, id est ipsum decem millia; nunc autem communi omnium opinione videtur affirmare quòd numerus fatalis Platonis est ipse 1728. undè patet quod Faber sibi ipsi non constat. Secundò verò cuncta ea, quæ dicit dum ipsum 1728 numerum Platonis Geometricum, seu fatalem ex ternario, novenariòque producit: non sunt ad propositum Platonis in hoc loco, quoniam ex duodenario solo eum numerum Geometricum in præsentia Plato producit. quo modo autem ex novenario quoque producat eum Plato, in Nono de Rep. manifestum nobis erit, cùm locum illum dilucidabimus. At ex ternario, neque hic, neque illic eundem numerum Geometricum Plato produxit. Quoad quartum decimum, ubi Faber tradit regulas inveniendi numeros Laterales, et Diametrales Quadratorum tum Effabiles, tum Ineffabiles: dico quòd omnia rectè doctissimèque declarat. Quo demum ad quintum decimum, et ultimum caput, in quo Faber adiecit magnum Platonis Diagramma: dico quòd omnia rectè disposuit, duobus exceptis. Primò quia non descripsit in ipso Diagrammate, numerum 1728 Geometricum, qui potissimum describendus erat: sed eius loco numerum millena millia posuit, quem appellavit Pleniocentesimum Cubum, hoc est à sex planis quadratis æqualibus ex centenario productis contentum. Secundò, quoniam in describendis decem numeris Perfectis posuit duos numeros, qui non sunt Perfecti, sed Abundantes, alterum quidem in quinto loco, ipsum scilicet 130816: alterum in octava sede, ipsum videlicet 536854528. Quare falsa est descriptio decem numerorum Perfectorum, quam Faber attulit. Causæ verò, propter quas in hunc secundum errorem inciderit, duæ sunt. Prima quidem causa est, quia produxit iam dictos duos numeros ex numeris Secundis et compositis crédens eos esse Primos et incompositos. quippe cùm omnes numeri Perfecti semper producantur ex numeris Primis et incompositis, ut docet Euclides in ultima propositione libri noni Elementorum. numeri enim ex quibus eos produxit sunt 511, et 32767, qui non sunt Primi, quoniam eorum uterque mensuratur à septenario, alter quidem vicibus 73. alter verò vicibus 4681. Secunda verò causa est, quoniam credidit Faber veram esse regulam illam, quam docent

multi Asithmetici (inter quos etiam Lucas de Burgo in Articulo primo, et quarto secundi Tractatus primae Distinctionis) quòd scilicet numeri Perfecti consequenter inventi debent alternatim semper in senarium, et octonarium finire. quae tamen regula falsissima est, ut quilibet numeros Perfectos iuxta doctrinam Euclidis consequenter invenions cognoscere potest. Cùm itaque magnum Diagramma Platonis à Fabro descriptum iam dictos errores contineat, non erit ab re Diagramma perfectum, exquisitumque describere, quod sit huiusmodi. (Id omisimus, utpote a Fabri diagrammate non differens nisi eo, quod sublatis numeris duobus abundantibus duo perfectos ultra eum quem Faber decimo loco scripsit, exhibet: 35184367894528 et 441151878074204l6, et quod in fine pro verbis *Planicentesimus Cubus* 1000000 haec habet: 10000 *prima harmonia similis ipsi* 144 *primae harmoniae.* 1000000 *secunda harmonia similis ipsi* 1728 *secundae harmoniae, seu Geometrico numero.* Tum Barockus pergit:) Verum enim vero quoniam nostrum de Fabri expositione iudicium iam attalimus; nunc breviter etiam dicemus, quaenam ab ipso penitus indeclarata relicta sint. Haec igitur septem sunt numero, quae quidem eo ordine enarrabo, quo in Platonis litera leguntur. Primò quidem non declaravit Faber fertilitates, ac sterilitates animae, corporumque de quibus Plato loquitur: secundò non explicuit, quaenam sint revolutiones, de quibus Plato sermonem habet: tertiò non exposuit quodnam sit divinitus genitum, quisque eius circuitus, de quibus Plate mentionem facit: quartò non dixit, quae sint illa correspondentia, et effabilia invicem, de quibus etiam Plato verba facit, quae etiam verba malè legit ipse Faber, cum legat *correspondentia*, *et comparabilia invicem.* textus enim graecus habet προσήγορα, καὶ ῥητὰ hoc est correspondentia et effabilia: quintò non declaravit quomodo ter auctus ipse septenarius duas illas harmonias praebet. nullum enim fecit verbum de particula illa Platonis *ter aucta:* sextò tres etiam illas particulas penitus indeclaratas reliquit, nempe illam *aequalis quidem longitudinis* et illam *sed praelongiori* ubi ipse malè legit *sed praelongiorem* et illam *centum quidem numerorum:* septimò, et ultimò nullam Geometrici numeri etymologiam tradidit, perinde ac si manifestum omnibus esset cur eum numerum ita Plato vocaverit: cùm tamen (ut patet ex iis, quae superiùs diximus) huius nominis ratio aliquantulam recondita sit. Haec etiam sunt, quae Faber ipse praetermisit, quae quam obscura sint, et ad intelligentiam huius loci necessaria, maturis iudiciis eorum, qui superiorem nostram expositionem iam perlegerunt, iudicandum relinquo. Verùm expeditus iam ab ipso Iacobo Fabro Stapulensi, ad caeteros autores hunc locum exponentes nunc me convertam, eorumque breviter expositiones examinabo. Hi autem sunt (ut à principio diximus) Iamblichus Chalcidensis Platonicus, Thermacides Pythagoreus, Sebastianus Foxius, Raphael Volaterranus, Divus Thomas, atque Donatus Acciaiolus. De Iamblichi itaque et Thermacidis expositionibus nullum nos iudicium facere possumus, quoniam eas non vidimus, cùm non extent impressae: sed hoc

solùm adnotabimus, quòd Marsilius Ficinus, qui Iamblichi expositionem manuscriptam viderat, inquit Iamblichum implicuisse dum locum hunc explicare voluit. Similiter etiam de Sebastiani Foxii expositione nullum erit nobis verbum, quoniam (ut ab initio diximus) ipsemet fatetur se locum hunc non intellexisse, ideóque indeclaratum eum reliquisse. Quare trium tantum interpretum expositiones examinandae relinquuntur, videlicet Volaterrani, Divi Thomae, et Acciaioli. Volaterranus itaque Platonis mentem non intellexit, ut patet ex iis, quae de hoc loco dicit in libro Trigesimoquinto suorum urbanorum commentariorum: Ideoque ubicunque de hac re mentionem fecit, eam sicco pede praeteriit. At in Trigesimo sexto libro eorundem commentariorum sive in argumento suo in Quintum Politicorum Aristotelis quendam errorem in verbis commisit. quamvis enim ipse Volaterranus in iam dicto trigesimo quinto libro dixerit numerum Platonis fatalem, hoc est ipsum Geometricum esse 1728, nihilominus in iam dicto postea trigesimo sexto libro malè eum explicat; quoniam videtur dicere, quòd numerus iste sit 20736. ibi enim de Aristotele Platonis mentionem faciente loquens habet haec verba. *Narrat praeterea causas omnes, quibus Resp. status corrumpitur, sive Aristocratiae, sive Regiae allegando Platonis certos numeros, in quibus mutationes fiunt civitatum, quos alibi attigimus, videlicet in Epitome libri Platonis, et in Arithmetica.* Dixit autem non immeritò *attigimus* quoniam adeo breviter ibi rem attigit, ut eam minimè declararit. Cùm verò haec dixisset, statim subiunxit quaedam verba, quibus breviter explicat quisnam sit ipse fatalis, seu Geometricus Platonis *numerus*, dicens: *Hic est numerus duodenarius, et multiplicatus per Aequilaterum suum Planum, et Solidum.* Quae quidem verba nil aliud mihi sonare videntur, quàm quòd numerus hic est 20736. nam si duodenarius multiplicetur per Aequilaterum suum Planum, hoc est per suum Quadratum (Aequilaterus enim Planus duodenarii numerus, est Quadratus ab eodem duodenario productus) qui nimirum est 144. dubio procul ipse 1728 Cubus duodenarii nascetur. quodsi rursus idem duodenarius per hunc eius solidum 1728 multiplicetur, orietur utique numerus 20736. Quare cùm dicat Volaterranus iam dictum Platonis numerum esse duodenarium multiplicatum per Aequilaterum suum Planum, et Solidum, nihil aliud dicere videtur quàm quòd numerus iste sit 20736, quòd profectò falsum est. Haec etiam de Volaterrani expositione dicta sint. Divus Thomas autem quamvis multa de hoc loco Platonis dixerit, attamen pauca possunt ex eius expositione colligi, quae ad intelligentiam praesentis rei pertineant. mox enim in principio commentarii sui fatetur opinionem Platonis ei non esse benè cognitam quoniam ipse non viderat Platonis literam ut ipsemet attestatur dicens: *Circa primum est intelligendum quòd opinio Platonis de corruptione Rerump. non est benè cognita à nobis, tum quia non venit ad nos per libros eiusdem, nec expositorum eius: tum quia dicta Aristotelis hic de ea obscura sunt valde propter brevitatem ipsorum etc.* In iis itaque pau-

cis, quae pro huius loci declaratione Divus Thomas dixit, duos commisit insignes errores, quorum primus quidem est, quod septenarium, quem Plato graece ἐπίτριτον πυθμένα, id est radicem Sesquitertiam, vel Sesquitertiam propaginem, vel Sesquitertium fundum appellavit: ipse Sesquitertium Cubum vocat iuxta Leonardi Aretini tralationem, quam in superioribus falsam esse ostendimus. Secundus error Divi Thomae est, quòd ipse quoque asserit (quemadmodum etiam Faber) duas à Platone commemoratas harmonias esse Rationes Sesquitertiam, et Sesquialteram. Haec circa Divi Thomae expositionem erant nobis adnotanda. Donatus autem Acciaiolus in declaranda Platonis opinione in quinto Politicorum Aristotelis quinque commisit errores insignes. Primò quoniam inquit Platonem dicentem Sesquitertia radix, intelligere de radice secundum Arithmeticos, quod falsum est. Radix enim secundum Arithmeticos est quilibet numerus sive integer, sive fractus, sive Effabilis, sive Ineffabilis, qui vel in se tantùm, vel in se, et sui multiplicationem ductus producit aliquem numerum, cuius ille iam multiplicatus in se numerus radix esse dicitur, radix inquam, vel Quadrata, vel Cubica; at septenarius nullo modo radix esse potest ipsius numeri Platonici: quandoquidem eius Cubica radix est ipse duodenarius, septenarius autem est radix Quadrata quidem ipsius 49, Cubica verò ipsius 343. quare non est ad propositum Platonis hic accipere numerum septenarium tanquam radicem secundum Arithmeticos. Secundò errat Acciaiolus cùm dicit quòd novenario efficiuntur duae harmoniae, videlicet Diatessaron, et Diapente, quia scilicet novenarius componitur ex quaternario, et quinario, quos ait ipse duas harmonias esse, nempe Sesquitertiam, et Sesquialteram; Sesquialteram quidem ipsum quinarium, qui primus in se continet Sesquialteram Rationem; Sesquitertiam verò ipsum quaternarium, qui (inquit ipse) est primus Sesquitertius numerus, quia continet ternarium, et tertiam partem ternarii. Haec enim omnia, quae sic Acciaiolus dicit, neque ad Aristotelis, neque ad Platonis propositum sunt; imò nullo modo quaternarius Sesquitertia harmonia vocari potest, quoniam quamvis ad ternarium Sesquitertius ipse sit, non tamen Sesquitertiam in se Rationem continet sicut ipse quinarius Sesquialteram; primus enim numerus Sesquitertiam in se Rationem continens est ipse septenarius, quem hac de causa Plato Sesquitertiam radicem appellavit. Tertiò errat Acciaiolus cum ait, quòd Platonici dicant ex novenario numero oriri annum magnum Platonis, cuius anni ambitu, et conversione mutationes rerum mutabilium fieri volunt. Quandoquidem annus magnus Platonis est (ut ipsemet Plato multis in locis, omnesque boni Platonici expositores declarant) tempus 49000 annorum, in quo secundum mobile perficit suum motum omnium coelestium motuum tardissimum, quo completo fiunt illa infinita, alternatáque diluvia, atque incendia res terrestres corrumpentia, de quibus Plato, aliique prisci autores mentionem fecerunt. Causa verò quòd in hunc Acciaiolus errorem inciderit, est quia non intellexit locum Platonis in Nono de Rep. ut ibi dicamus,

quoniam iamiam eum quoque summe expositurí. Quartò committit etiam Acciaiolus errorem illum ab omnibus expositoribus commissum, qui dicunt duas harmonias Platonis esse Sesquitertiam, et Sesquialteram Rationes. Quintò et ultimò commisit errorem Acciaiolus, cùm dicit, quòd duodenarius dicatur ab Aristótele fieri Solidus, quia constat ex ductu quaternarii in ternarium, quae sunt eius duo latera. non enim ideo dicitur ipse duodenarius Solidus quia fiat ex multiplicatione quaternarii in ternarium, hac enim ratione potius Planus est iuxta numeri Plani definitionem. Sed duodenarius dicitur Solidus, quià potest produci ex trium numerórum multiplicatione iuxta Solidi numeri definitionem; bis enim tria, sex; et bis sex duodecim; bis duo, quatuor; et ter quatuor duodecim. Adde etiam quòd non loquitur Aristoteles de Duodenario cùm ait *quando numerus Diagrammatis huiusmodi efficiatur Solidus*, sicut credidit Acciaiolus, et D. Thomas: sed de ipso Platonis numero Geometrico in fine magni Diagrammatis descripto; ut inferiùs in Aristotelis litera declaranda videbimus.

Haec erant, quae ante hos decem annos referre de aliorum opinionibus haberemus. Interim Wachlerus, vir litteratissimus, nos docuit Freytagium Apparatus litterarii T. II. p. 987. mentionem fecisse libelli a Martino Rakocio scripti, in quo numeri Platonici explicatio quaedam inesset. Ea quamquam nihil a Matthiae Lauterwaldi ratione differret nec ullo modo posset probari, tamen instituti caussa et quod carmine inclusa esset, supplementi loco hic commemoranda visa est. Titulus libelli secundum Freytagium hic est: Libellus de Partibus Reipub. et Causis Mutationum Regnorum, Imperiorumq. in plerisque ad imitationem Aristotelis, scriptus Carmine per M. Martinum Rakocium. — Viennae Austriae excudebat Raphael Hoffhalter Anno 1560. (4. fol. 23.) Auctor, eodem teste, Martinus Rakowzki de Rakow, Camerae Hungaricae scriba fuit. Versus ipsos, quibus secundum Platonem numerus inter caussas mutationum regnorum afferatur, Freytagius pro specimine apposuit hos:

— Numerus placet altera caussa Platoni,
Qui duplici harmonia discrepet ipse sibi,

Quando superficies Epitriti [illegible] iuncta
Auctaque ter gemina dissona voce strepit.
Cumanae vatis quamvis oracula vincant
Haec tenebris, breviter sic tamen ista cape.
Dat natura bonos et disciplina regentes,
Principio quorum florida regna vigent.
Postea degenerant frenis paullisper omissis,
Quae disciplinae fecerat ante rigor.
Postremo veluti vitiorum laesa senecta
Prorsus cum dominis praecipitata ruunt.
Vt tribus ascéndit modulis symphonia dulcis,
Ante Deum quando musicus ordo canit,
Quos si transscendat tollatque supra Diapason,
Horrendo strepitu concava templa frement,
Nec iam cantus erit, sed erit vox illa boatus
Et docta minime gratus in aure fragor:
Sic sit Epitritus ($1\frac{1}{3}$) cuius Diagrammate quinque
Sit radix, costas parte ab utraque ligans.
Haec tibi dulcisonas reddet symphonia voces
Per quartam docto suaviter ore sonans.



Duc cubice costas, (4. 3.) media duo pone, (48. 36.) require,
Quos extrema (64. 27.) dabunt cum mediis strepitus.
Dimidius ditonus tibi cum diapente patebit,
Qui modus est unus non ita durus adhuc.
Surget ab extremis (64. 27.) Diapason dimidiusque
Dittonus: heu, quantum iunctus uterque frement.
Multiplica simul (64. 27.) veniet (1728.) plus disdiapason
Latrans, Tartareas ut canis ante fores,
Offensas feriet duris clamoribus aures,
Obruet inceptum vox ululata melos.
Summa cadunt igitur sua post exordia prorsus,
Hic fati numerus cum solidatus adest. (1728.)
At diatetradion clementer postea rursus,
Cum vult, post strepitus inchoat ipse Deus.
Sic aetas olim pulchrum mutavit inane
Adversus Dominum flagitiosa patrans,
Et rudis Israel factus fatalibus annis
Cum disciplina concidit ipse sua.
Nec procul a nostro situs est hic terminus anno: (1728.)
Nescio, terrigenis quid feret ille novi.
Incipiunt autem tractas sentire ruinas
Imperia et fati deteriora sequi
Anno (512.) qui diapente facit collatus ad illum
Et logon hunc ($3\frac{3}{8}$) mensus, si trutinetur, habet.
Sed brevibus non est Elegis evolvere tanta:

Lativegi longe res erat ista pedis.
Non bene magna capit, pelago ducenda profundo,
Et quae ipsam *) superent pondera, parva ratis.
Credite, fatales numeros momentaque volvunt
Conscia virtutem sidera passa Dei.

*) *ipsam* in libro omissum de coniectura addidimus. Etiam v. 29. post *simul* videtur *haec* excidisse.

Iam alteram disputationis partem aggrediamur et quid recentiores illi deinceps protulerint videamus. Friesius numerum 5040, quem in Legibus quoque Plato civitati praescripserit, hic ab eo significari statuit, secundum quem nuptiae bene et feliciter instituantur, quoque regnante connubiorum rationem et liberorum educationem fortunatam, denique civitatis statum incolumem manere necesse sit. At eiusmodi numerum, qui omni tempore necessario idem futurus esset, statim ab initio conditae civitatis regnare et a magistratibus respici atque observari oportebat. Iam non apparet, quid magistratus aliquo tempore adducere possit, ut a norma antiquitus et perspicue tradita et cum totius civitatis salute coniuncta recedant. Itaque non caussam corrumpendae, quemadmodum professus est, sed signum corruptae civitatis scriptor hoc loco tradidit, si de tali numero cogitavit. Accedit quod initium orationis Musarum nullo modo Friesii opinionem admittit. Verba extrema autem, *ἂς ὅταν ἀγνοήσαντες — παῖδες ἔσονται*, quae admittere eam videntur, quamquam illud *παρὰ καιρόν* temporis potius, quam numeri cogniti neglectionem arguit, haud dubie cum initio consentire ideoque sic intelligi debent, ut custodes adesse aliquando tempus humani generis periodis conveniens, quo generationes vel meliorem vel deteriorem conditionem recipiant, ignorare dicantur. Minus etiam probabilis est mo-

dus, quo Fricius numerum suum a Platone designatum ostendit. Eum dici statuit, in quo primo quadratum producentes et alieno imperio subiectae multiplicationes tres repetitiones et quatuor terminos nactae omnia simile vel dissimile gignentia omniaque augentia et deminuentia in concordiam redigant atque invicem effabilia reddant. (in welcher zuerſt d. h. welche die kleinſte Zahl iſt, in der ins Quadrat erhebende und beherrſchte Vermehrungen (Multiplicationen) drei Wiederholungen und vier Grenzen (terminos) bekommend alles ähnlich oder unähnlich bildende, alles vermehrende und vermindernde befreunden und rational gegen einander machen.) Scilicet *αὔξησιν δυναστευομένην* esse duorum diversorum numerorum multiplicationem, quae alterum alterius imperio subiiciat, veluti quum e quinario quadruplicato prodeat vicenarius, qui quinque simul et quatuor partibus constans quinquepartitum (das fünftheilige) utpote iam quadripartitum redditum quaternario subiectum exhibeat. *Τρεῖς ἀποκαταστάσεις* autem (hanc enim lectionem praeferendam esse) metaphorice dici tres deinceps instituendas multiplicationes seu multiplicationis repetitiones, per quas ex quatuor terminis numeri totius fundamentum continentibus primum numeri quidam minores efficiantur, qui deinde ipsum numerum 5040 producant. Porro terminos illos quatuor esse ternarium, quaternarium, quinarium et septenarium, quorum primus et alter semet ipsi, tertius quarto multiplicati numeros novem, sedecim et triginta quinque efficiant, ex quibus invicem multiplicatis exsistat numerus 5040. Horum terminorum tres priores nominatim indicari verbis *ὧν* (sc. *ὅρων*) *ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγείς*; radi-

cem enim sesquitertiam duo numeros minimos, quorum ea sit ratio, appellari, et additum τρὶς ἀνίσοις idem, quod τρεῖς ἀποτελεστάσεις significare; quartam vero ex duabus harmoniis, quas tres priores exhibere dicuntur, colligi. Harmonias enim hoc loco esse numerorum cognationes (Beziehungsverwandtſchaften) qualem inter ternarium, quaternarium et quinarium intercedere triangulum illud rectangulum docebat, cuius latera minora alterum ternario, alterum quaternario paria sint. Quinario autem proxime iunctum cognatione esse septenarium, quippe cuius quadratum pene duplum sit quadrati illius. Ac priorem quidem harmoniam cerni in eodem illo triangulo, et verba τὴν μὲν ἴσην ἰσάκις ἑκατὸν τοσαυτάκις ad numerum ternarium, quaternarium et quinarium relata nihil aliud significare, nisi duorum priorum quadrata exaequare quadratum postremi; servata enim proportione et mutato tantum numerorum ambitu centies centena esse tria milia sexcenta et sex milia quadringenta, sive quadrata senarii et octonarii paria esse quadrato denarii. (Denn nur mit verändertem Maaßſtab iſt hundert hundertmal aber $10000 = 3600 + 6400$ d. h. $6^2 + 8^2 = 10^2$.) Posteriorem vero harmoniam spectare ad quadratum: τὴν δὲ ἰσομήκη μὲν, τῇ προμήκει δέ, aequilateram quidem, sed formae oblongae indutam, (zwar eine gleichſeitige aber zum oblongen gebildet) quibus verbis numeri rationem lateris et dimetri in quadrato obtinentem indicantes, quinarius et septenarius, ad rectangulum oblongum seu numerum 35 producendum adhiberi iubentur ita, quemadmodum verbis sequentibus accuratius demonstratum sit. Sed ea corrupta atque sic emendanda esse: ἑκατὸν μὲν ἀριθμὸν ἀνὰ

διαμέτρων ῥητῶν πεμπάδων δεομένων ἑνὸς ἑκάστων· ἀῤῥήτων δὲ δυεῖν· ἑκάστων (seu τῶν) δὲ κύβων τριάδος, sensum autem hunc continere: numerus enim centenarius e quadratis diametri effabilis quinarii prodit ita, ut singulis diametris unum, e diametris ineffabilibus ita, ut duo, in cubo autem, ut tria desint. (hundert nemlich iſt die Zahl aus den Quadraten der ausſprechbaren Diagonalen der Fünfen, ſo daß jeder Diagonale eins fehlt; den unausſprechbaren (Diagonalen) aber ſo daß zwei fehlen; dieſen (nemlich unausſprechbaren Diagonalen) am Würfel, ſo daß drei fehlen.) Scilicet diametrum effabilem quinarii esse septenarium, cuius e quadratis si centenarius componatur, unicuique rationaliter monadem deesse, irrationali autem quadrato (98 = 2. 49) deesse duo, denique ad cubum ascensione facta quadratum diametri cubi effici = 98 + 49 = 147, cui numero ad plenum eius diametri quadratum (150) tria desint. Ac totidem proximo a 147 effabili quadrato, duodenarii, ad ipsa 147 deesse. Sic posteriorem harmoniam lateris esse et diametrorum in cubo: in quadrato enim latus ad diametrum fere ut quinarium ad septenarium, in cubo latus ad diametrum cubi fere ut septenarium ad duodenarium se habere, denique quinarium septenario indeque productum quadrato duodenarii multiplicatum praebere universum numerum geometricum 5040. Hanc interpretationem nemo vel mediocri linguae Graecae peritia instructus serio probaverit. Nihil dicam de verbi δυνασευέσθαι declaratione, quod quum inusitatum sit, varias explicationes recipit: etiam ἀποκαταστάσεις invitis codicibus admittam et quamquam de orbibus tantum coelestibus post magnum temporis spatium ad pristinum

locum revolutis dictas esse constat, vel repetitiones multiplicationis vel productos iis numeros significare sinam: tamen neutra significatione adhibita tres ἀποκαταστάσεις sufficere video ei, qui ex quatuor fundamenti loco positis numeris, ternario, quaternario, quinario et septenario, universum istum producere velit. Deinde ὁμοιούντων etc. πάντα pro πάντα τὰ ὁμοιοῦντα etc. dici usus et ratio linguae vetant, neque apparet, qualis sint ista ὁμοιοῦντα etc. Nam quod numerum 5040 amicitia iungere ait quatuor primorum numerorum simplicium genera et diversissimas partitiones admittere, eorum nihil certae et exploratae adiectivorum ὅμοιος et ἀνόμοιος, ῥητὸς et προσήγορος de numeris usurpatorum significationi convenit, neque sunt isti numeri quatuor (2, 4, 5, 7,) omnes simplices, aut si quaternarium tamquam duplicatum binarium tamen inter eos referre cum Friesio volumus, primum inter simplices locum binarius, sed monas obtinet. Quae de dictione ἐπίτριτος πυθμήν disputat, non urgebo, quia varie explicari potest, sed ut ternarium et quaternarium significet, hic uterque quinario iunctus si τρὶς αὐξηθῆναι iubetur, quis eam αὔξησιν ad septenarium quoque spectare credat, cuius nulla dum mentio aut significatio facta sit? et quis hanc ipsam αὔξησιν, quam constans usus cubum efficere docet, eandem illam triplicem ἀποκατάστασιν scilicet esse in animum inducat? Denique, ut harmonicarum rationem perobscuram et precariam omittam, quis ἰσομήκη aequilateram, quis τῇ προμήκει forma oblonga indutam seu in eam figuram translatam intelligat? quis in verbis ἑκατὸν μὲν ἀριθμὸν particulam μὲν et accusativum absolutum ferat? quis κύβων in *cubo* interpretetur? Sed casuum et particularum doctrinam

omnino minus curandum hoc loco existimasse vir doctissimus videtur, quum extrema etiam sic emendari posse ostendat: *ἑκατὸν μὲν ἀριθμεῖν ἀπὸ διαμέτρων ῥητῶν πεμπάδων δεῖ μὲν οὖν ἑνὸς ἑκάστων*, eisque verbis hanc sententiam inesse putet: wenn jemand hundert aus den Quadratzahlen der aussprechbaren Diagonalen der Fünfen zusammenzählt, so fehlt ihm bei jeder Diagonale Eins.

Venio ad Schleiermacherum. Is priori parte usque ad *ἀνόρηναν* statuit eundem numerum, quem ego, iisdemque de caussis significari, ceterum Platonem non duo, quemadmodum mihi visum est, sed unum numerum illum indicare neque vero extrema consulto, ut explicari non possent, obscurare voluisse. Tamen se verbo *ξύμπας* pendentem animi redditum demonstrat, cubumne senarii, an qui ex multiplicatione omnium quatuor terminorum exsistat, quadratum eius cubi numerum designatum existimet, et utri eorum sequentia magis respondeant, cum praeferendum censet. At haec ipsa minime ad liquidum sibi videri perducta. Harmonias fortasse non proprie intelligendas esse, neque apparere, quid *ἴση ἰσάκις ἁρμονία* sit. *Ἰσομήκη* construi posse cum *τῇ προμήκει* sic, ut altera harmonia priori ex quadrata oblongae redditae par longitudine habeatur. Defectum monadis ad septenarium ipsum non minus recte, quam ad eius quadratum referri. Ineffabiles diametros et ipsas quinarii dictas videri, sed ea ratione, quamquam verbis convenientissima, numeri integritatem tolli. An igitur effabilibus unum, ineffabilibus duo seu unum cum fractione infinita pro uno habenda detrahi iuberi, et sic utrobique senarium designari? Denique obscurum relinqui, quo modo ex his

centum numeris totidemque cubis ternarii harmonia posterior efficienda sit. Horum ego ea, quae mecum sentit vir doctissimus, numerum a Platone significatum esse 216, et dativum τῇ προμήκει, si ita scripserit, ab ἰσομήκη pendere, quum etiam nunc pro veris habeam, non magis possum non probare, quam quod harmoniarum interpretationem meam improbat, cuius partem priorem ne mihi quidem satisfacere iam tum ostendi. Sed posterioris explicandae rationem, qua senarium numerum duobus medis et altero quidem veritati repugnante designatum esse suspicatur, vereor ut quisquam probabiliorem iudicet. Quod utrum sit, non duo numeros Platonem significare debuisse, universum quidem totius loci consilium et prima verba haud dubie de uno quodam cogitari iubent, qui generis humani fertilitatem et sterilitatem regens eius periodum sic, ut divini perfectus et aliarum rerum terrestrium alius determinet, neque verbis ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν etc. usque ad πύβων τριάδος nihil, nisi accessionem et quasi corollarium definitionis praegressae contineri negaverim; sed quod deinde et statim post maiores illos harmoniarum numeros ξύμπας οὗτος et γεωμετρικὸς dicitur, id novum aliquem eumque multiplicatione omnium antecedentium efficiendum indicare videtur, quem ego, quia prior verbis ἐν ᾧ πρώτῳ minimus sui generis dictus aeque certissime descriptus esset, a priore diversum, et quoniam item ἀμεινόνων τε καὶ χειρόνων γενέσεων κύριος appellaretur, non minus priore fatalem atque plurium periodorum, quarum quaeque per illum finita non necessario mutationem in peius afferret, numerum esse putabam. Nec mecum ipse satis consentit Schleiermacherus, quum co-

mino minus curandam hoc loco
us videtur, quum extrema etiam s
at: ἑκατὸν μὲν ἀριθμῶν ἀπ
τεμπάδων δεῖ μὲν οὖν ἑνὸς ἑκάστ
ententiam inesse putet: wenn jeman
ratzahlen der aussprechbaren Diagonal
zählt, so fehlt ihm bei jeder Diagonale

Venio ad Schleiermacherum. I
ἀπέφηναν statuit eundem numeru
que de caussis significari, ceterum P
admodum mihi visum est, sed unu
care neque vero extrema consulto, ut
obscurare voluisse. Tamen se verb
animi redditum demonstrat, cubumne
tiplicatione omnium quatuor terminor
eius cubi numerum designatum existin
quentia magis respondeant, cum pra
haec ipsa minime ad liquidum sibi vid
ius fortasse non proprie intelligenda
uid ἴση ἰσάκις ἁρμονία sit. 'I
um τῇ προμήκει sic, ut altera har
longae redditae par longitudine ha
dis ad septenarium ipsum non m
adratum referri. Ineffabiles
ctas videri, rati
sima, n
um,
o
esi

[redacted]ficatione, quarum prior quadrato, posterior cubo [redacted]exagenarii. Harmoniam enim esse numerum ali-[redacted]modo inter se concinentes numeros continentem [redacted]m sexagenarii constare centum quadratis senarii, [redacted]. si pro oblongo accipiatur, duo habere latera, [redacted]as (18000) centum numeris 158, oriundis illis a [redacted]enarii et a duobus ineffabilium diametrorum qua-[redacted]narii quadratis (158 = 49 + 32 + 72) et cen-[redacted]narii constet, brevius autem per se clarum ideo-[redacted]non nominatum ipse numerus sit duodenarius. [redacted] = 216000) In his primum offensioni est quod ὑρωπείῳ δὲ non e proximo petendis verbis [redacted]ι ἦν ἀριθμὸς περιλαμβάνει, sed nescio [redacted]is ἀριθμός ἐστι supplere eoque numero in-[redacted]humani, de qua nusquam sermo fuit, adum-[redacted]iubemur. Quod autem plures numeros etiam [redacted], quia fieri nequeat, ut unus, vel ut ipsius [redacted]singulus numerus melioris itidemque deterio-[redacted](ἀμεινόνων τε καὶ χειρόνων γενέσεων) [redacted]non reputavit κύριον εἶναι non significare [redacted], sed vi vel potestate et auctoritate praeditum [redacted]quicquam obstare, quominus, quod Pharaonem [redacted]scimus, idem numerus fertilitatis et sterilita-[redacted]definiat, particulas autem τε καὶ plane ut Lati-[redacted]vel utriusvis rei efficiendae parem vim et aucto-[redacted]ni numero vel potius periodo eo comprehensae [redacted]Quae si reputasset, fortasse non eo licentiae pro-

ξύμπας οὗτος ἀριθμὸς γεωμε-

atione de universa ista numerorum

dem illo ξύμπας adductum se dicit, ut dubitet, numerum 216, an eius quadratum malit significatum putare. Quae dubitatio iniusta esset, nisi Plato de duobus numeris verba facere videretur. Neque enim propterea, quod harmonias nondum satis explicatas habebat, de priori numero ambigere, aut ξύμπας et γεωμετρικὸς quid significaret, in dubitationem vocare poterat. Itaque hoc pro certo posuerim, Platonem verba extrema ita instituisse, ut qui de alio quodam numero cogitaret: id vero non temere eum, sed caute et simul ἐρεσχηλοῦντα, quemadmodum in commentatione docui, fecisse et tamen numerum periodicum nihilo minus certo describere voluisse et descripsisse puto.

Novissimus huius loci interpres Branisius non solum duo, sed aliquot numeros a Platone designatos statuit, unum humanae naturae convenientem, qui quasi imago humani generis naturam eius atque indolem typice exprimat, alios periodicos, a quibus fertilitatis humanae ac sterilitatis periodi contineantur, ex quibusdam primi illius mutationibus seu revolutionibus oriundos. Primum illum verbis ἐν ᾧ πρώτῳ usque ad ἀπέφηναν declaratum duodenarium esse, quippe quem primum multiplicationes simplicium compositorumque numerorum trifariam progignant, et cuius partes seu factores similantes et dissimilantes atque augentes et deminuentes sic iungi possint, ut quatuor terminos proportionis geometricae exhibeant. Periodicorum autem descriptionem incipientem verbis ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν etc. usque ad αὐξηθεὶς, quae sexagenarium solida multiplicatione a tribus factoribus, ternario, quaternario et quinario, producendum demotent, continuari et absolvi sequente harmoniarum dua-

rum significatione, quarum prior quadrato, posterior cubo constet sexagenarii. Harmoniam enim esse numerum aliquos certo modo inter se concinentes numeros continentem et quadratum sexagenarii constare centum quadratis senarii, cubum vero, si pro oblongo accipiatur, duo habere latera, quorum longius (18000) centum numeris 158, oriundis illis a quadrato septenarii et a duobus ineffabilium diametrorum quaternarii et senarii quadratis (158 = 49 + 32 + 72) et centum cubis ternarii constet, brevius autem per se clarum ideoque a Platone non nominatum ipse numerus sit duodenarius. (12. 18000 = 216000) In his primum offensioni est quod dictionem *ἀνθρωπείῳ δὲ* non e proximo petendis verbis *περίοδός ἐστι ἣν ἀριθμὸς περιλαμβάνει*, sed nescio unde advocandis *ἀριθμός ἐστι* supplere eoque numero indolem generis humani, de qua nusquam sermo fuit, adumbratam credere iubemur. Quod autem plures numeros etiam necessarios dicit, quia fieri nequeat, ut unus, vel ut ipsius vocabulo utar, singulus numerus melioris itidemque deterioris generationis (*ἀμεινόνων τε καὶ χειρόνων γενέσεων*) vim exprimat, non reputavit *κύριον εἶναι* non significare vim exprimere, sed vi vel potestate et auctoritate praeditum esse, neque quicquam obstare, quominus, quod Pharaonem olim expertum scimus, idem numerus fertilitatis et sterilitatis periodum definiat, particulas autem *τε καὶ* plane ut Latinorum *vel — vel* utriusvis rei efficiendae parem vim et auctoritatem illi uni numero vel potius periodo eo comprehensae tribuere. Quae si reputasset, fortasse non eo licentiae progressus esset, ut verba *ξύμπας οὗτος ἀριθμὸς γεωμετρικὸς* collectiva significatione de universa ista numerorum

planorum ac solidorum serie intelligenda diceret, quam significationem dum locis quibusdam Theaeteti et Phaedonis asserere contendit, quibus ὁ ἀριθμὸς πᾶς, ὁ ἥμισυς τοῦ ἀριθμοῦ ἅπας, ὁ ἕτερος στίχος τοῦ ἀριθμοῦ dicitur, pronominis οὗτος vim prorsus neglexit vel ignoravit. Non minus offensionis illud habet, quod αὐξήσεις δυναμένας τε καὶ δυναστευομένας multiplicationes eas dicit, quae a numeris simplicibus compositisque fiant. Veteres arithmeticos ait simplices numeros γραμμικούς, lineares, vocasse, lineas autem respectu planorum, quae ab eis produci possint, δυναμένας dici licuisse, itaque omnes simplices numeros δυναμένους potuisse nuncupari. Id vero non efficit omnes δυναμένους simplices esse, aut si qui δυνάμενος appelletur, eundem simplicem esse significari, nisi forte, quia omnes homines mortales et omnes philosophi homines sunt, philosophus idem, quod mortalis, et quivis mortalis philosophus est. Profecto validioribus argumentis uti debebat qui persuadere vellet Platonem αὐξήσεις δυναμένας istas dixisse et a verbi δύνασθαι certa in mathesi et constante significatione recessisse, cuius eo magis eum tenacem esse conveniebat, quo minus usitatum nec nisi ex opposito intelligendum alterum verbum esset, quo αὐξήσεις diversi generis designaret δυναστευομένας eas appellans. Sed facilem nimis: δυνάμεναι αὐξήσεις simplicibus, δυναστευόμεναι compositis factae numeris multiplicationes sunto: nam duodenarius primus ab istis productus erit, quemadmodum Bramisius vult, non octonarius? Octonarium ipse dicit primum quaerenti sese offerre, quippe cuius factores, 1, 2, 4, primos numeros simplices primumque compositum

praestent, sed reiiciendum esse propter plenilem δυναστευόμενας, qui innuere videatur numerum descriptum plus uno composito continere. Nonne videbat quartum factorem, 8, eadem iure, quo 1, adnumerandum, qui alterum compositum praestaret? praesertim quum paullo post duodenarium cum monade inter factores duodenarii relaturus esset. Non igitur hanc ob caussam, quam ostendit, reiiciendus ei erat octonarius, sed quod tres distantias, quales quidem ipse sibi finxisset, non praebere videretur. Ietas vero distantias considerantes novam offensionem accipere oportet. Persuasum sibi esse dicit accusativum τρεῖς ἀποστάσεις a verbo ἀπέφηνεν pendere neque ad λαβόντας referendum esse, quia, si Plato dixisset numeros quosdam tria intervalla quatuorque terminos accipere, sine dubio pleonastice locutus esset. Per se enim patere intra quatuor terminos tria intervalla contineri, nullamque id proprietatem certorum quorundam numerorum exprimere. Talibus argumentis non erat quod persuaderi sibi de pervertenda constructione naturali pateretur. Neque enim hoc proprium illorum numerorum haberi vult Plato, quod tria intervalla et quatuor terminos accipiant, sed quod acceptis utrisque omnia effabilia et communi nomine appellanda praestent; neque simpliciter terminos quatuor accipere eos ponit, sed ὁμοιούντων etc. quae indicari sine nomine ὅρων non potuerunt. Itaque primum numeros illos, 8 et 27, uno intervallo separatos tria pro uno accipere iubet, deinde, ne obscurum sit, quo modo hoc fieri velit, terminos intervallorum demonstrat. Simul intervalla quoque, id quod a me praetermissum Schleiermacherus observavit, pariter ac termini ὅρια καὶ προσήγορα πρὸς ἄλληλα fieri significan-

tur. Sic ne umbra quidem pleonasmi relinquitur. Sed videamus, qua ratione Bramisius multiplicationes suas tres distantias *manifestare* statuat. Inter duos quoscunque numeros diversos distantiam intercedere monet; de binis igitur numeri alicuius factoribus, qui invicem multiplicati eum producant, dici posse distantiam eos manifestare; ergo omnes numeri cuiusdam factores datos tot distantias manifestare, quoties numerum, cuius sint factores, producant. Iam *αὐξήσεις* illas multiplicationes esse, quibus certus numerus e factoribus ipsius producatur; si igitur eae tres distantias manifestare dicuntur, nihil nisi id innui, numerum illum ex ipsis trifariam progigni. Haec eodem vitio laborant, quo illa, quibus *δυναμένας αὐξήσεις* simplicibus numeris factas esse multiplicationes probatum ibat: ex eo, quod multiplicaturus, dum factores intuetur, ad differentiam eorum animum convertere et intervallum, si quod intercedit, observare potest, colligit, quoties quis intervallum observare posse dicatur, toties eum multiplicare dici, quasi id ipsum sit multiplicare, intervallum observare, ac non potius multiplicatio tantisper cesset atque eius in locum subtractio et comparatio succedat, et numeri illi, qui ad multiplicationem factores sunt, simul atque inter se comparentur, factores esse desinant. Quid, quod ipse vitium sensisse videtur, quum vulgatam lectionem *ἀποκαταστάσεις* magis sibi arridere demonstret, hac tamen caussa allatá, quod non credibile sit librarium quemdam pro *ἀποστάσεις*, verbo usitato et primo aspectu clariori, *ἀποκαταστάσεις*, longe rarius idemque obscurius vocabulum, scripsisse, contra difficilius intellectu *ἀποκαταστάσεις* in planius *ἀποστάσεις* mutasse

multo probabilius sit. *Ἀποκατάστασιν* cuiuslibet rei motae recursionem ad unum idemque punctum significare. Multiplicationes igitur tres *ἀποκαταστάσεις* exhibentes tales esse, quae ternis vicibus ad eundem numerum productum recurrant. Id vero exemplis probandum erat. Quae quum aliter, quam quemadmodum supra de Friesii commentis disputans ostendi, *ἀποκατάστασιν* dictam esse non docuerant, inepto ad rem pusillam et multis numeris communem nomine abstinuisse Platonem codicibus optimis plurimisque non credere temerarii est. Neque incognitum adeo erat vocabulum *ἀποκατάστασις*, etiam in sacris litteris obvium, ut sciolis augusta quaedam et ampla aucupantibus in mentem venire non posset. Sequitur terminorum declaratio superioribus similis, hoc est, offensionis plena. *Ὅροι*, inquit, sunt numeri rationem quandam terminantes (nobis *Gliedet*); *αὐξήσεις* igitur *ὅρους λαβοῦσαι* multiplicationes sunt numeros producentes tales, qui termini sint rationum quarundam. Ergo dicit Plato, numeros 1, 2, 3, 4, 6 (per *αὐξήσεις δυναμένας καὶ δυναστευομένας* indicatos) ita inter se multiplicari posse, ut producantur quatuor rationum quarundam termini. Indoles autem multiplicationum, quibus hunc ad finem opus est, verbis designatur *ὁμοιούντων καὶ ἀνομοιούντων καὶ αὐξόντων καὶ φθινόντων*. Hic si forte quis miratur *ὅρους λαβούσας* multiplicationes dici quae terminos producant, quum *λαβεῖν* non producere significet, sed accipere, genitivos *ὁμοιούντων* etc. ita intelligendos sciat, ut numeros indicent, a quibus terminos accepturae sint *αὐξήσεις*, eos autem numeros non alios esse, nisi per *αὐξήσεις* indicatos, has igitur terminos a semet ipsis acci-

pere, hoc est, eos producere dici. De reliquis vero sic habeat, terminos ipsos esse numeros 3, 6, 12, 24, acceptos illos seu productos primum a similantibus, 3 ab 1. 3, 12 a 2. 6, 6 a 2. 3, 24 a 4. 6, tum a dissimilantibus, 3 ab 1. 3, 6 a 2. 3, 12 a 2. 6, 24 a 4. 6, tertio ab augentibus, hoc est, qui duodenario maius quid producant, 24 a 4. 6, denique a deminuentibus seu minus duodenario producentibus, 3 ab 1. 3 et 6 a 2. 3, duodenarium autem ipsum in serie illorum quatuor terminorum propterea inesse debere, quod, quum quasi mensura sit, qua adhibita numeri tum αὔξοντες tum φθίνοντες nuncupentur, eundem etiam exemplar esse conveniat, cuius ratione numeri tum ὁμοιοῦντες tum ἀνομοιοῦντες dicantur. Quorum verborum extrema, quum non appareat, qua alia, nisi mutua ipsorum ratione et invicem comparati 6 et 24 a similantibus, 3 et 6 a dissimilantibus producti appellari queant, et quid huic eorum rationi significandae duodenarii accessio inserviat, eo consilio adiecta videntur, ut dubitantibus, quo modo in numero duodenario (ἐν ᾧ πρώτῳ) numeri 1, 2, 3, 4, 6 quatuor terminos, quorum tertius ipse duodenarius sit, accipere seu producere possint, scrupulum eximant, quo liberati speremdum est fore, ut iidem quarti termini caussam magis etiam abscnditam aliquando e tenebris eruant. Post haec ad alterum loci partem se convertit Branisius, cuius interpretatio ei melius cessit. Quamquam enim ne hic quidem pugnantia ponere, incerta pro certis venditare, linguae usum eosque deque habere dubitavit, denique numerorum, quos profert, nullum veritatis aut probabilitatis notis instruxit, tamen dumbus in rebus recta via ingressus monstravit, qua parte adhuc

obscuris lux clarior affundi posset. Harmonium enim priorem *ἴσην ἰσάκις, ἑαυτὸν τετραπλάσιος* a Platone dictum numero aliquo quadrato centies multiplicato constare, posterioris vero descriptionem centum numeris a diametris profectis centum ternarii cubos addere statuit, quod utrumque verum puto. Neque ego, si *αὐξήσεις* numeri 1, 2, 3, 4, 6 essent, et duodenarium scriptor in antecedentibus tamquam planum rectangulum designavisset, pronomen *ὧν* ad illos quinque numeros referentem et quaternarium cum ternario *ἐπίτριτον πυθμένα* rectanguli illius dictum consentem improbarem. Sed de numeris illis et de duodenario omnino cogitandum non esse vidimus. Atque ipse sibi repugnat aperte, dum *ἐπιτρίτου πυθμένος* declarationem suam eo, quod duodenarius planus et rectangulus sit, firmans nihilo minus duodenarium hic non ut planum, sed ut lineam considerari et numeris 3, 4 et 5 partes lineae duodenariae tamquam eius numeri proprietatem quandam denotari perhibet. Verbum enim *συζυγείς* nec multiplicationem nec additionem, sed id tantummodo significare ait, numeros 3 et 4 cum quinario una serie componendos esse, eamque compositionem sic fecit, ut linea duodenaria prodeat, cuius tamen partes duas paullo ante ut latera plani rectanguli, mox omnes tres ut latera solidi considerari iubet. Nempe verbis *τρὶς αὐξηθείς* non cubicam, quam linguae usus requirit, sed omnino solidam multiplicationem tribus quibusvis factoribus conficiendam indicari statuit, cuius opinionis firmandae causa locum L. VIIII. p. 587. D. commemorans *τρίτην αὔξην* ibi nullam, nisi cubicam esse posse non animadvertit. Quae igitur de verbis *ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγείς*

et τρὶς αὐξηθεὶς disputat, ut sexagenarium ex iis efficiat, omnia vel inter se vel cum linguae usu pugnant et fundamento prorsus destituta sunt. De nominis harmoniae significatione quae dicit Friesio aliisque suffragans, velim equidem vera sint, ne numeris, quibus utraque contineri dicitur, probabili verborum interpretatione inventis propterea, quod harmoniam musicam nullam ostendere videantur, diffidere cogamur. Sed neque argumentis definitionem suam probavit neque illud moratus est, quod, quam quadratum et cubum quivis numerus producere possit, nec sexagenarii nec alius cuiuspiam proprium dici poterat tales harmonias duas producere. Ad ipsas harmonias quod attinet, priorem iam supra ostendi recta mihi via ab eo declaratam videri, et verba ἴσην ἰσάκις, ἑκατὸν τοσαυτάκις posse quadratum sexagenarii significare; qui si in proximis indicatus esset et harmoniam nihil aliud, nisi quadratum esse constaret, omnino probabilem interpretationem dicerem. Etiam posterioris explicationi partim assensus sum, sed quod solum ἰσομήκη statuit ad cubi significationem sufficere, non magis probare potui, quam quod ad τῇ προμήκει supplendum censet πλευρᾷ, aut quod centum priores numeros ex undequinquagenariis et ex ineffabilium quaternarii et senarii diametrorum quadratis componit. Numeros ἰσομήκεις a veteribus dici ait quos nostrates potentias eiusdem radicis dicant. Itaque secundam harmoniam aeque ac primam sexagenarii potentiam et, quia numerus sit geometricus ac proinde tertiam potentiam non excedat, eius cubum esse doceri. Neutrum verum. Ἰσομήκεις sunt omnes, qui alterutrum latus commune habent. Id non tantum in eiusdem potentias radicis

cadit, sed centenarius, ut hoc utar, vicenario, tricenario et ceteris a denario productis non minus ἰσομήκης est, quam millenario. Itaque si cui numero quadrato ἰσομήκης alter dicitur, potest is quidem eiusdem radicis potentia haberi, sed nisi aliunde accesserit alterius lateris indicium, pro certo haberi non potest. Neque ex nostra geometriam finiendi ratione de Platonis geometrico numero pronuntiandum et ultra tertiam positas potentias eo significari potuisse negandum est, praesertim quum tertiam quoque Plato ipse L. VII. p. 528. B. disciplinae a geometria diversae tractandam attribuat. Ellipsis autem nominis πλευρὰ et omnino inusitata et hoc loco ob ambiguitatem aliena est. Denique quum effabilis quinarii diameter septenarius sit, eius quadratus fieri non potest ut monade detracta nihilo minus undequinquagenarius maneat, quod quidem et ipse olim statui et Branisius tuetur, verba δεομένων ἑνὸς ἑκάστων ideo addita putans, quo disertius non diametri, sed quadrata earum intelligenda docerentur. At ea ratione ἀῤῥήτων dicendum erat, non ῥητῶν. Ineffabiles vero non solum quaternarii et senarii, sed etiam monadis et binarii, quamquam horum effabiles quoque, ut quinarii, diametros esse constat. Vt igitur duas ineffabiles ad duos ex istis duodenarii factoribus, 1, 2, 3, 4, 6, referendas concedamus, quod, quia de istis numeris Plato omnino non cogitavit, concedi nequit, tamen nulla caussa est, cur ad quaternarium et senarium potissimum referri debeant.

Nunc, quoniam de aliorum opinionibus satis dixisse videmur, superest, ut nostram proponamus. Ac de priori parte eadem sentimus, quae antea, idque eo magis, quo

gravior nobis assensor contigit Schleiermacherus, quoque a probabili longius dissentientes Friesius et Braniss aberrarunt. Iidem sesquitertiae radicis declarationem in commentatione priore exhibitam tenemus quum aliis de caussis ibidem demonstratis, tum quod singulari Platonem, si duos voluisset numeros significare, usurum non fuisse verisimile est. Sed *συζυγίαν* quaternarii et quinarii iam non addendo, ut antea, sed multiplicando efficiendam putamus, quo sensu Iamblichus in verbis commentationis posterioris initio positis *τετραγώνων ἀλλήλοις μιγέντων* item quadratos gigni dicit. Vicenarium igitur pro novenario ponentes, qui ter auctus, hoc est, quadratus primum, deinde cubus factus, duas harmonias praebeat, harmonias ipsas, quas olim adhibito numero fatali monstrasse nobis videbamur, nunc musicis investigandas tradimus, si forte ex descriptione vicenarii eiusque quadrati et cubi colligere eas potuerint. Nostrum enim non est canonem secare, sed Platonis verba interpretari. Is igitur priorem *ἴσην ἰσάκις, ἑκατὸν τοσαυτάκις* dicens numerum quadratum aliquem sumi eoque centenarium multiplicari iubet. Iam deficientibus quadrati illius indiciis primum de primo cogitandum, quem ob id ipsum, quod ceteros antecedit, potius, quam alios, scribentis animo obversatum probabile est. Sed monas, quae primum inter quadratos locum tenet, multiplicandi vi caret. Quare ne frustra centenarium multiplicare iubeamur, secundum a monade seu primum inter multiplicantes sumamus, quaternarium, quo multiplicatus centenarius quadringenarium producit, vicenarii quadratum. Atque hoc priorem harmoniam continueri statuimus. Alterius in descriptione verba prima, etsi

secundum vulgatam lectionem commode explicari potuerit, ita ut hoc harmonia aequale priori, sed ex quadrato in formam oblongi traductae, latus alterum habere et sic cubus eiusdem, cuius illa quadratum, radicis esse indicaretur, tamen ob codicum auctoritatem mutanda et accusativo προμήκη pro dativo recepto sic scribenda videntur: τὴν δὲ ἰσομήκη μὲν τῇ, προμήκη δέ, qua lectione et vocabulorum per particulas μὲν et δὲ oppositorum ratio in concordiam redigitur, et offensio, qua articulus dativo προμήκει additus non prorsus carebat, tollitur, sensus vero aeque commodus et pene idem efficitur, quandoquidem cubus, qui quadrati latus retinet, ipse oblongi formam accipit, cubum autem significari verbis τρὶς αὐξηθεὶς demonstratum est. Qui sequuntur centum numeri a diametris, iis unam huius harmoniae partem, alteram centum ternarii cubis constare, et utrosque additione, non multiplicatione coniungendos esse interpretor. Ἀριθμοὺς ἀπὸ διαμέτρων etc. eos intelligo, qui a diametris etc. prodeant, hoc est, quorum singulis singulae quinarii diametri effabiles et binae diametri ineffabiles radicum instar subsint, ita ut eorum unusquisque uno diametri effabilis quinarii quadrato, sed monade subtracta, et duarum ineffabilium diametrorum quadratis constet. Iam quum diameter effabilis quinarii septenarius sit, cuius quadratus undequinquagenarius est, unumquemque centum illorum numerorum, quippe cui monas ad quadratum deesse dicatur, duodequinquagenarium esse consequitur. Sed quia centum illi numeri non solum a diametris effabilibus quinarii, sed etiam a duabus ineffabilibus prodire dicuntur, quadrata duarum diametrorum ineffabilium ad duodequinquagenarium

addenda sunt. Quae diametri quum neque quinarii esse possint, quippe qui unam, non duas ineffabiles diametros habeat, neque alia ratione a scriptore indicatae sint, eadem via, qua in priore harmonia indaganda quadratum illic significatum quaesivimus, hic quoque ingredi et ex omnibus diametris ineffabilibus duas primas eligere debemus. Atqui prima omnium monadis est, radix binarii. Huius igitur quadratum, hoc est, binarium, primum addamus. Pro secunda ternarii radicem ponimus, quae quamquam numerum, cuius diameter sit, effabilem non habet, nihilo tamen minus diameter est, quam binarii radix. Quemadmodum enim radices ineffabiles laterum vicem subeuntes definitam quantitatem accipiunt, haud secus numerus ille ineffabilis, cui ternarii radicem diametrum tribuimus, lateris vicem subit et tamquam latus quadrati, quod dimidium ternarii est, certa quantitate gaudet et certum quadratum producit, cuius diametrum quoque certam esse necesse est. Huius igitur quadratum seu ipsum ternarium una cum binario ad duodequinquagenarium addamus. Sic eum numerum efficimus, qui centies sumptus et centum ternarii cubis additis auctus octiesmillenarium, cubum vicenarii, praebet. Atque hanc alteram harmoniam esse puto.

Alter locus argumento non ita dissimilis dubitationibusque et ipse nonnullis obnoxius est L. VIIII. p. 587. C. — 588. A. ubi Socrates, postquam viri iusti seu philosophi eiusdemque regis vitam non solum optimam, sed etiam iucundissimam esse atque eius voluptatem quoque longe voluptati iniusti sive tyranni antecellere tribus argumentis demonstravit, differentiam voluptatis utriusque ad calculos revocat

et modi, quo altera alteram superet, numerum definit. Hic quum de ipso numero dubitari nequeat, quin septingentorum undetriginta sit, nam et codices in eo consentiunt et reliqua omnia eodem ducunt et quae in margine Vind. B. posita est coniectura, sive ea sexcentorum sive undetriginta et sexcentorum numerum reponi iubeat, certe falsa est, tamen de consilio Platonis, quid spectaverit, ut sola conscientia comprehensam et uniuscuiusque sensu metiendam rem numero definiret, tum de convenientia, quam septingentis undetriginta esse cum vita diebus et noctibus et mensibus et annis constanti praedicat, denique de trium, quos statuit, graduum ratione ambigi potest. Iam quod ad primum attinet, Schleiermacherus in annot. p. 605. numeris Platonem ideo uti debuisse opinatur, quod ipse nullius rei mensura numeroque carentis veram scientiam esse statuerit. (*Das Unternehmen dieses auf Rechnung zu bringen, mag Platon selbst rechtfertigen; er war gebunden durch den Sax — und hat ihm möglichst durchgeholfen — dass in allem nur soviel wahre Wissenschaft sei, als Maass und Zahl darin ist.*) Sed idem Plato voluptatem tyranni ab scientia longe remotam esse statuit, alias vero res cum scientia haud dubie coniunctas, velut iustitiae et reliquarum virtutum naturam, tamen sine numerorum ope quum alibi tum in Civitate explicavit. Non magis mere ludibundus, quemadmodum Stallbaumius autumat, arithmeticam rationem adhibuisse et loco intempestivo rem seriam inquinasse existimandus est. Potius crediderim virum in mathesi diu multumque versatum similitudine quadam rerum ductum in hanc se viam contulisse, ut differentiae inter regem et tyrannum magnitudinem quam

maxime insignem redderet, ipse a vulgo tyrannos felices praedicante quam longissime recederet eaque, quae super his disputata essent, in animis et memoria hominum quam altissime imprimeret. Praeterea virtutem reconditam septingentorum undetriginta numeri non in vulgus efferre, sed doctis et familiaribus significare hoc dato commodissimo loco voluisse et propterea illam potius, quam aliam, qui ex tripli triplo existeret, elegisse videtur. Ille enim is est, qui et annum et mensem et diem et noctem sic metitur, ut temporis partitio proxime ad eam, qua hodie utimur, accedens inde proficiscatur, cuius partitionis veritas simul clarissima in luce collocata apparet. Itaque hoc numero posito si quaeratur, quanto felicius tyranno vivat rex, responderi potest tantundem huic singulis minutis, quas dicimus, voluptatis suppetere, quantum illi totis diebus, singulisque vel horis vel diebus noctibusve perceptam ab hoc voluptatem aequare illius menstruam vel annuam. Atque hanc ego convenientiam numeri et vitae dictam a Platone suspicor, quam Schleiermacherus non alio spectare ratus, nisi eo, quod septingentorum undetriginta dimidium sit trecentorum sexaginta quinque numerus, inanem hunc ausum dicere coactus est propterea, quod qui inter regem et tyrannum interpositi sint virorum vitae eadem mensura quam continentur, tamen aeque convenientem numerum non habeant, (*Wenn aber Sokrates hernach rühmt, dass er für diesmal eine gar ungemessene Zahl herausgebracht: so hat er wohl bei seinem Witze auf die Zeiten schwerlich etwas anderes im Sinne, als dass 729 das doppelte ist von 365, denn ein fehlendes wurd bekanntlich bei den Griechen in solchen Fällen nicht*

gerechnet. Auch dieses kann uns nur als eine bedeutungslose Spielerei erscheinen, da die zwischen beide gestellten Männer mit ihrem Leben doch auch unter denselben Zeitmaasse stehen, eine ebenso angemessene Zahl aber nicht erhalten würden.) cuius censurae partem priorem Stallbaumius sine iudicio repetiit. De tertio eorum, quae in dubitationem vocari h. l. posse ostendi, ita sentio. Quum quaesitum esset, quanto infelicius rege viveret tyrannus, h. e. quanto magis ipsius voluptas a vera distaret, quam regia, quae minimo distare dicta erat, primum distantia ἀριθμῷ, *numero*, seu secundum longitudinem (numerus enim omnis quaternas monadibus constat, lineae instar habendus) definitur ita, ut quoties regis distantia pro mensura sumpta in tyrannica inest, significetur. Sed quia voluptates quinque virorum non puri modo a vera absunt, quum duo extremi ne adulterinarum quidem ullius compotes sint, progressionis, quae ad tertium usque facta fuerat, modulo aucto distantia voluptatis quartae a tertia aequalis esse ponitur distantiae tertiae a prima, et tyrannicae voluptatis distantia novies tanta fit, quam quanta regiae. Hic quoque immerito Schleiermacherus et quia sensum verborum τῶν νόθων εἰς τὸ ἀκόλαστον ὑπερβολὰς non perspexerat, scriptorem reprehendit his verbis: — *da ja gefragt wird, wie weit der Tyrann von dem Könige abstehe, so sollte billig der Abstand gemessen werden; es werden aber die Stufen gezählt. Statt also zu sagen, vom König bis zum Timokraten ist eine Länge, und vom Timokraten bis zum Oligarch wieder eine, so dass der Oligarch vom Könige zwei abstehe, wird gesagt, der König ist der erste, der*

Timokrat der zweite und der Oligarch der dritte. Ja auch so wird nicht etwa weiter gezählt, dass dann der Demokrat der vierte wäre und der Tyrann der fünfte; sondern beim Oligarchen wird abgesetzt, und auf den Grund, dass zwischen Oligarch und Tyrann nur Einer ist, wie zwischen König und Oligarch nur einer war, wird nun gesagt, der Oligarch verhalte sich zum Tyrannen wie der König zum Oligarchen; wonach also der Tyrann Neune wird, wie der Oligarch drei war, was doch offenbar keine Rechnung oder Zählung mehr ist, da sie 1 *zu* 5 *in* 1 *zu* 9 *verwandelt.* Iam vero longitudinis ratione demonstrata, quum voluptas tyrannica non vere voluptas, sed voluptatis simulacrum, simulacri autem non solum longitudo, sed etiam latitudo sit, via, quam semel ingressus est, pergens Socrates hac quoque ratione ipsius et regiae differentiam breviter significat verbis *ἐπίπεδον ἄρ', ὡς ἔοικε, τὸ εἴδωλον κατὰ τὸν τοῦ μήκους ἀριθμὸν ἡδονῆς τυραννικῆς ἂν εἴη*, quorum sensus hic videtur: si quis simulacrum voluptatis tyrannicae planum ponat, ei longitudinis numero iam indicato utendum et secundum eum plani magnitudinem definiendam esse. Nam quod verba seorsum spectata significare possunt, voluptatis tyrannicae simulacrum secundum longitudinis numerum ipsi voluptati convenientem planum esse, quemadmodum scholiastes intellexisse ea videtur, ideo probari nequit, quod utrum planus an non planus esset ille longitudinis numerus, demonstrare nihil attinebat, id vero, quod longum est, si forte longitudinis numerum planum habet, minime ipsum planum fit, nisi numerus ille longitudinis altero, qui latitudinis sit, multiplicetur. Itaque recte impro-

buit hanc interpretationem Schleiermacherus, sed quæ ipse usus est, (*Und das Schattenbild der tyrannischen Lust wäre also die Fläche, die zu jener Zahl als ihrer Wurzel gehört*) nexum hæc inter et antecedentia obtinentem non est assecutus. Dicendum erat: *Fläche also wäre das Schattenbild der tyrannischen Lust nach Maassgabe der Längenzahl.* Nam illud vere monuit, *ἐπίπεδον* h. l. quadratum cogitandum esse, quum antea de longitudine, paullo post de tertio auctu sermo sit. Socrates vero, quia quadrato non usurus erat ad differentiam indicandam, nec magnitudinem eius enuntiat nec ipsum faciendum esse dicit, sed brevi rationis, qua et illa invenirí et ipsum fieri possit, significatione contentus hoc quasi corollario inserto statim tertium gradum proponit eiusque numerum iam perspicuum esse dicit verbis *κατὰ δὲ δύναμιν καὶ τρίτην αὔξην δῆλον δὴ ἀπόστασιν ὅσην ἀφεστηκὼς γίγνεται*, in quibus *τρίτην αὔξην* per epexegesin ad *δύναμιν* additum est. Scilicet quadratum quoque *κατὰ δύναμιν* existit; cuius mentio si non obiter tantum facta esset, fieri sic poterat, ut *κατὰ δύναμιν καὶ δευτέραν αὔξην* oriri ex longitudinis numero diceretur. Nunc quasi cubi demum in effectione, quippe numerum illum, quem Socrates spectabat, præbentis, potentiam suam longitudo exserat, hinc nascens differentia *κατὰ δύναμιν καὶ τρίτην αὔξην* nasci dicitur. Schleiermacherus iterum partem veri vidit et verba *καὶ τρίτην αὔξην* epexegesin facere sensit, sed *δύναμιν radicem* interpretatur ex eaque et tertio auctu, h. e. si tertium augeatur radix, differentiam apparituram dici putat, et tamen ipse fatetur non quamlibet radicem, sed irratio-

nalem tantum *δύναμιν* appellari Theaet. p. 148. A. nec fugere eum poterat, quae propria eius nominis significatio esset, in Politici et Euclidis locis ab Heindorfio ad Theaet. p. 147. D. citatis iam satis conspicua, illa vero, quam ipse statuit, adhibita verba *κατὰ δύναμιν* prorsus supervacanea fieri. Minus etiam probare rationem possum, qua haec cum superioribus iungit: *Aus der Wurzel und der dritten Potenz also wird erhellen, um welche Entfernung er absteht.* Non post *δῆλον* demum inferendum, sed adversativi loco inter *κατὰ* et *δύναμιν* ponendum erat *δὴ*, si id voluisset Socrates, quod Schleiermacherus vult, quod ipsum ne verum quidem esset, quum etiam longitudinis et superficiei commemoratio supra facta ad distantiam significandam pertineat. Itaque Germanice sic dicendum: *Nach dem Vermögen aber und der dritten Steigerung betrachtet ist wohl klar wie gross seine Entfernung wird.* Atque hinc enato in numero consistit Socrates, partim quod ultra tertiam dimensio non erat, partim ob convenientiam numeri, quam declaravimus.

Sed ne nimium nobis nostraeque sententiae tribuisse videamur, et quo aequius ac verius iudicari de hoc loco possit, scholiastae explicationem, cuius partem attigimus, integram adiicere, deinde aliorum interpretationem verbis ipsorum ut in libri VIII. numero enarrando adhibitis apponere placuit. Scholion igitur ad verba prima p. 587. D. adscriptum secundum Bekkerum hoc est: *Ελλήφθω κατὰ τὴν μονάδα αὐτὴν ὁ βασιλικὸς, κατὰ δὲ τὸν γ' ὁ ὀλιγαρχικὸς, τῆς μονάδος πολλαπλασιασθείσης ἐπ' αὐτὸν, κατὰ τὸν δ' δὲ ὁ τυραννικὸς, τοῦ γ' γεγονότος ἐφ' ἑαυτόν. τοῦ τριπλασίου*

ἄρα τῆς μονάδος τοῦ γ′, τουτέστι τοῦ ὁλογραμμικοῦ τοῦ πρὸς τὸν βασιλικὸν ἀφεστῶτος τριπλάσιον, ὡσαύτως τριπλάσιον τῷ [θ′] ἀριθμῷ ἀφέστηκεν ὁ τυραννικός. ἔστι δὲ οὗτος ἐπίπεδος ἀριθμὸς κατὰ τὸ μῆκος τὸν γ′ τὸ πλάτος τὸν γ′ καὶ αὐτὸν ὄντα πολλαπλασιασθείς. εἴθωλον δὲ τὸν τυραννικόν φησι τοῦ βασιλικοῦ τὸ ἔσχατον. δύναμιν δὲ τὸν γ′ καλεῖ, ὅτι δὴ καὶ ἡ μονὰς [κατ' αὐτὸν] καὶ αὐτὸς ὁ γ′ ἐφ' ἑαυτὸν καὶ ὁ θ′ κατ' αὐτὸν ἐπολλαπλασιάσθησαν, οὗ μὲν γ′, οὗ δὲ θ′, οὗ δὲ κζ′ ποιήσαντα. τρίτην δὲ αὔξην λέγει τὴν τοῦ θ′ ἐπὶ τὴν δύναμιν τὸν γ′ πολλαπλασίασιν καὶ ποιήσασαν τὸν κζ′, τὸ βάθος ἤγουν στερεὸν ἀριθμόν. δευτέρα γὰρ ἦν ἡ ἀπὸ τοῦ γ′ ἐφ' ἑαυτὸν γενομένου καὶ ποιήσαντος τὸν θ′, τὸ πλάτος ἤγουν τὸν ἐπίπεδον, ὥσπερ ἡ τῆς μονάδος ἐπὶ τὸν γ′ πολλαπλασίασις πρώτη αὔξη τε ἦν καὶ τὸ μῆκος ἐποίει αὐτό. τελειωθεῖσαν δὲ πολλαπλασίασιν τὴν τοῦ κζ′ ἐφ' ἑαυτὸν γινομένην· αὕτη γὰρ ποιεῖ τὸν φκθ′.

In his quae uncis inclusa vides, primum θ′ a Ruhnkenio (qui scholion ipsum paullo inferius sub lemmate τριπλάσιον collocavit) omissum Bekkerus incertum ex codice an de coniectura, et, si hoc, praeter necessitatem inseruit: alterum κατ' αὐτόν, quod propter sequentium verborum similitudinem facile potuit excidere, quia salvo sensu abesse non posse videbatur, nos inserendum putavimus. Post verba ἔστι δὲ οὗτος ἐπίπεδος ἀριθμὸς κατὰ τὸ μῆκος τὸν γ′ comma a Ruhnkenio et Bekkero positum sustulimus, ut scholiastes illud, quod supra significaveram, dicat, numerum hunc novenarium esse planum, quippe qui longitudine sua, ternario, latitudinem eodem ternario constantem multiplica-

tam habeat. Nam πολλαπλασιασθεὶς τὸ πλάτος κατὰ τὸ μῆκος idem est, quod τὸ πλάτος ἔχων πολλαπλασιασθὲν κατὰ τὸ μῆκος. Ceterum pro πολλαπλασίασιν et πολλαπλασίασις et ἤγουν Ruhnkenius πολλαπλασίωσιν et πολλαπλασίωσις et ἤτοι aeque probabiliter scripsit, minus bene ἦν post δευτέρα γὰρ omisit, perperam denique καὶ ποιήσοντος τὸν θ' pro καὶ ποιήσαντος τὸν θ' et ἐπὶ τοῦ γ' pro ἐπὶ τὸν γ' edi est passus. Explicationem ipsam non opus est ut refutemus.

Pluribus Barocius locum nostrum illustrare studuit, quae Commentario de numero Platonis appendicis instar adiecta, quia liber rarissimus est, desiderari noluimus. „Haetenus itaque" inquit „praesentem Platonis locum obscurissimum dillucidavimus: modò reliquum est, ut illum etiam alium eiusdem in Nono de Repub. locum ex iam declaratis omnino dependentem illustremus. Qua in re sic est mihi procedendum. Primò ponam verba graeca Platonis, eorumque fidelem nostram conversionem subscribam, quoniam à Marsilio Ficino, et ab aliis malè tralata mihi videntur. Secundò totam Platonis in hoc loco sententiam explicabo, eamque verbis ipsis applicabo. Tertiò, et ultimò Sebastiani Foxii locum hunc exponentis errores ostendam. Quoad primum igitur verba graeca Platonis haec sunt." (Ea nos, quia fideliter ad Aldinum exemplar expressa sunt, omisimus et pro iis Ficini interpretationem subiectis Grynaei mutationibus posuimus, quo facilius quid Barocio placuerit appareat. Sic igitur Ficinus: *So.*[1]) *Scisne,*

1) Personarum nomina omisit Grynaeus.

quanto visit tristior rege tyrannus? Glau. Sciam certe, si dixeris. So. Cum tres cupiditates sint, et una quidem legitima sit, adulteras[1] *duae, adulterarum*[2] *tyrannus suprema cortitus fastigia; dum legem fugit et rationem, servis*[3] *quibusdam et satellitibus voluptatibus se commiscet; et quam longissimo intervallo a voluptate legitima sit seiunctus, haud facile aliter, nisi forsitan hunc in modum, exprimi potest. Glau. Quemadmodum? So. Ab homine paucorum imperii cupido tertius apparuit esse tyrannus, medius namque istorum popularis vir extitit*[4]*. Glau. Ita est. So. Cum tertio itaque voluptatis, quo ad veritatem*[5] *simulacro post illum congreditur, si vera in superioribus diximus. Glau. Sic est dicendum. So. Quin etiam paucorum potentiae deditus tertius est a rege*[6]*, si in eodem loco numus*[7] *optimatem ac regem. Glau. Tertius utique. So. Triplo igitur numero secundum tripli rationem*[8] *distat*[9] *a vera voluptate tyrannus. Glau. Apparet. So. Planum itaque simulacrum secundum longitudinis numerum tyrannicae voluptatis existet*[10]*. Glau. Valde*[11]*. So. Secundum vero potentiam*[12] *et tertium augmentum, manifestum est, quanto discrepat*[13] *intervallo. Glau. Manifestum quidem computatori. So. Si quis converso ordine, quantum*[14] *voluptatis veritate superat rex tyrannum, quaesiverit, peracta multiplicatione inveniet regem vitae dulcedine superare tyrannum et tyrannum vitae amaritu-*

---

1) *adulterinae ac spuriae* Gryn. 2) *adulterinarum* 3) *et servis* 4) *vir popularis erat* 5) *quod ad veritatem quidem attinet* 6) *a rege est* 7) *post regem* 8) *Tripli igitur triplum numero quidem* 9) *post tyrannus* 10) *est* 11) *Prorsus* 12) *potentiam vero* 13) *discrepet* 14) *quanto*

dine regem, gradibus viginti novem et septingentis. Glau. Mirabile nimium intervallum hoc inter iusti et iniusti viri vitam quoad voluptatem atque dolorem cumulavisti. So. Verus hic certe et conveniens vitis hominum numerus: si quidem ipsis conveniunt dies, noctes, menseseque et anni. Glau. Conveniunt quidem.) „Nostra verò eorundem fidelis tralatio sit huiusmodi. *Scisne quantò vivit tristior Rege Tyrannus? Sciam certè, si dixeris. Cum tres (ut videtur) voluptates sint, una quidem legitima, duae verò adulterinae: adulterinarum Tyrannus suprema sortitus fastigia, dum legem fugit, et rationem; servis quibusdam, et satellitibus voluptatibus se commiscet: et quàm longissimo intervallo à voluptate legitima sit seiunctus, haud facilè aliter nisi forsan hunc in modum exprimi potest. Quomodo? Ab homine Paucorum potentiae dedito tertius apparuit esse Tyrannus, medius namque istorum vir Popularis erat. Ita est. Cum tertio itaque voluptatis simulachro, quo ad veritatem post illum simul habitat, si vera in superioribus diximus. Sic est dicendum. Quin etiam Paucorum potentiae imperans à Rege tertius est, si in eodem loco Optimatem, et Regem ponamus. Tertius utique. Tripli igitur triplum numero quidem à vera voluptate Tyrannus distat. Apparet. Planum itaque (ut videtur) simulachrum secundùm longitudinis numerum Tyrannicae voluptatis est. Prorsus. Secundum verò Potentiam, et tertium augmentum manifestum est quanto distet intervallo. Manifestum quidem Computatori. Si quis igitur ordine converso veritate voluptatis Regem à Tyranno distare dicat: quantùm distant* 729 *feliciorem ipsum vivere inveniet peracta multi-*

„plicatione: Tyrannum verò infeliciorem eadem ipsamet distantia. Immensum intervallum discriminis duorum istorum virorum, iusti scilicet, et iniusti quoad voluptatem, atque dolorem cumulavisti. Certè verum, et convenientem vitis numerum: si quidem ipsis conveniunt dies, et noctes, et menses, et anni. Conveniunt quidem. Haec itaque nostra fidelis, et vera loci huius tralatio sit. Quoad secundum verò sciendum est, quòd cùm tres animi vires à Platone in libris de Rep. positae sint civitatum generibus correspondentes, scilicet addiscendi, irascendi, et concupiscendi vis: tres etiam hominum voluptates (inquit Plato) totidemque cupiditates esse necesse est, cognitionis nempe, ambitionis et lucri. Quamobrem tres sunt in universum Civitatum status: unus, qui à Platone proprio nomine Resp. dicitur; alter, quem Remp. Ambitiosam: tertius, quem Remp. Quaestuariam appellat. et homines quidem Reip. proprio nomine dictae, Philosophos: homines autem Ambitiosae, Contentiosos, sive Ambitiosos: homines verò Quaestuariae, Avaros nuncupat, à proprio scilicet fine unumquenque denominans. Horum igitur trium civitatis statuum, unumquenque rursus in duos Plato partitur: Remp. quidem in illam perfectissimam, ac veram Remp. quam Optimatum Remp. vocat, et in Regiam: Ambitiosam verò in Censu potestatum Remp. quam etiam propriè vocat Ambitiosam, et in Paucorum potentiam: Quaestuariam autem, in Popularem gubernationem, et Tyrannidem. Saepe autem duas illas species, nempe Regiam, et Optimatum in unum contrahit, ut etiam in praesenti loco fecit: et tunc quinque duntaxat erunt Reip. species. Quae cùm ita sint, volens Plato in praesenti loco ostendere maximam esse distantiam

„inter Tyrannicam vitam, et Regiam (quandoquidem alterum dulcissimam, amarissimam alteram, in praecedentibus esse docuit) hoc non aliter facilè quàm per numeros sit exprimi posse. Quod cum dixisset, mox distantiam hanc numeris planis simul, et solidis explicat. Verùm ut rectè percipiatur quemodo Plato hoc faciat disponantur sex Reip. species, quemadmodum eas maximè cum artificio videtur hic Plato disponere: ponatur igitur in primo quidem loco Regia, non quia omnium perfectissima sit (perfectissima siquidem omnium Resp. Optimatum est) sed ut extrema duo singularium hominum sint, Regis scilicet et Tyranni, inter quos Plato maximam esse distantiam ostensurus est. in primo itaque loco Regia constituatur, in secundo autem Optimatum, in tertio verò Censu potestatum, in quarto Paucorum potentia, in quinto Popularis, in sexto et ultimo Tyrannis, ut in subscripto patet exemplo.

729	1 REGIA OPTIMATVM	———	RESPVBLICA
243	CENSV POTESTATVM	———	AMBITIOSA
81	3 PAVCORUM POTENTIA		
27	POPVLARIS	———	QVARSTVARIA
9	9 TYRANNIS		

Rebus publicis ita dispositis, earum etiam homines eodem ordine disposuit esse intelligantur. inquit igitur Plato [*cum tres voluptates sint*] ut scilicet paulo superius ipse dixit [*una quidem legitima, duae vero adulterinae*] vocat autem legitimam cognitionis voluptatem, reliquas verò duas adulterinas: quoniam illa quidem vera voluptas est, hae autem non veras voluptates sunt [*adulterinarum*] scilicet voluptatum [*Tyrannus supremum sortitus fastigia*] hoc est ul-

„tima iuxta superiorem ordinem voluptate fruens [*dum legem fugit, et rationem; servis quibusdam, et satellitibus voluptatibus se commiscet:*] hoc est dum à ratione discedit, servilibus voluptatibus deditus est, atque propterea inquit Plato [*quàm longissimo intervallo a voluptate legitima sit seiunctus, haud facilè aliter, nisi hunc in modum exprimi potest.*] Modum autem statim subiungit his verbis [*Ab homine Paucorum potentiae dedito tertius apparuit esse Tyrannus, medius namque istorum vir Popularis erat.*] iuxta scilicet ordinem superiorem. [*Cum tertio itaque voluptatis simulachro quo ad veritatem post illum simul habitat si vera in superioribus diximus.*] id est tertium voluptatis gradum quoad veritatem Tyrannus post Popularem sortitur. dixit autem gradum, sive simulachrum voluptatis tertium quoad veritatem Tyrannum post Popularem sortiri: quoniam superius iam ostendit Regis voluptatem veram voluptatem esse, Tyranni verò adulterinam: Popularis autem iuxta superius digestum ordinem, tertio voluptatis gradu primus fruitur. Deinde subiungit [*quin etiam Paucorum potentiae imperans à Rege tertius est, si in eodem loco Optimatem, et Regem ponamus.*] id est si tanquam unum eos accipiamus. [*Tripli igitur triplum numero quidem à vera voluptate Tyrannus distat.*] id est tripli triplum intervallum iuxta numerum Tyrannus à vera Regis voluptate distat. Veruntamen quod sit intervallum hoc tripli triplum, sic intelligendum est. Ponatur ubi quidem Rex, unitas: ubi verò Paucorum potentiae deditus, ternarius; quoniam ipse à Rege tertius est: ubi autem Tyrannus, novenarius; quoniam Tyrannus etiam à Paucorum potentiae dedito tertius existit. Paucorum igitur potentiae deditus ad

„Regem quidem Triplam, ad Tyrannum verò Subtriplam habet Rationem. Quamobrem eandem Rationem Tyrannus ad Paucorum potentiae deditum, quam ipse Paucorum potentiae deditus ad Regem habet, Triplum scilicet. per decimam ergo definitionem quinti elementorum Euclidis Ratio, quam habet Tyrannus ad Regem, est duplicata Rationis, quam habet ipsemet Tyrannus ad Paucorum potentiae deditum; hoc est Ratio Tyranni ad Regem est composita ex Ratione Tyranni ad Paucorum potentiae deditum, et ex Ratione Paucorum potentiae dediti ad Regem. Quare si multiplicentur invicem denominationes duarum iam dictarum, ex quibus ipsa componitur rationum; producetur per quintam definitionem sexti Elementorum Euclidis ipsa Ratio Tyranni ad Regem. Cùm autem illae duae Rationes Triplae sint, dubio procul si multiplicentur invicem, producent Noncuplam Rationem. Tyrannus igitur ad Regem Noncuplam habet Rationem. Noncupla verò Ratio Triplae Rationis Tripla est. triplum ergo tripli intervallum iuxta numerum Tyrannus à vera, sive Regia voluptate distat. Posthaec autem subdit Plato [*Planum itaque (ut videtur) simulachrum secundum longitudinis numerum Tyrannicae voluptatis est.*] hoc est novenarius itaque numerus Planus existens, quoniam Quadratus est, Tyrannicae voluptatis est simulachrum, et imago secundum longitudinis numerum, id est quatenus est numerus longitudinis numeri 81, cùm eius radix Quadrata sit. Deinde ait [*Secundum verò Potentiam, et tertium augumentum manifestum est quanto distet intervallo.*] hoc est secundum verò Quadratum novenarii (Potentiae nanque numerorum quemadmodum etiam linearum, sua Quadrata dicuntur)

„quippe quod est 81: et tertium augumentum, nempe numerum 729 Cubum novenarii ad tertiam usque dimensionem auctum: manifestum nobis est quanto Tyrannica voluptas à Regia, veráque voluptate distet intervallo; quòd scilicet eo distat intervallo, quo novenarius à numero 729 distat. Caeterùm ut hoc etiam rectè percipiatur, ponatur iterum in superiori exemplo, ubi quidem Tyrannis, novenarius: ubi verò Popularis, 27: ubi autem Paucorum potentia, 81: ubi verò censu potestas, 243: ubi demum Optimatum, et Regia Resp. pro una accepta, 729, qui numeri omnes erunt in Tripla Ratione continuè proportionales, sicut erant etiam tres ipsi priores, nempè unitas, ternarius, et novenarius. His etiam ita dispositis perspicuum nobis est, quòd intervallum inter Tyrannum, et Regem est maximè remotum, quantùm scilicet novenarius à 729 numero removetur. est autem numerus 81 (ut iam diximus) potentia, sive Quadratum ipsius novenarii, numerus verò 729 est tertium augumentum eiusdem novenarii, hoc est Cubus ipsius. Rectè igitur dixit Plato, quòd secundam potentiam, et tertium augumentum, scilicet novenarii manifestum est quanto Tyrannus à Rege distat intervallo. nam ab ipso quidem Paucorum potentiae dedito distat secundum potentiam, scilicet numerum 81 Quadratum, ab ipso verò Rege, secundum tertium augumentum, videlicet numerum 729 Cubum. Quod cùm ostendisset Plato, subiungit [*Si quis igitur ordine converso veritate voluptatis Regem à Tyranno distare dicat; quantùm distant 729 feliciorem ipsum vivere invenist peracta multiplicatione: Tyrannum verò infeliciorem eadem ipsamet distantia.*] hoc est, si quis ordinem convertat, et quemadmodum prius Tyrannum Regi compa-

„rabat, eumque reperiebat distare à Rege secundum novenarii potentiam, et tertium augumentum, id est quantum novenarius à numero 729 distat; ita etiam nunc Regem Tyranno comparet: inveniet peracta multiplicatione scilicet ipsius novenarii in se ipsum, et in productum, Regem quidem vivere feliciorem Tyranno quantùm distat 729 ab ipso novenario, Tyrannum verò infeliciorem eadem ipsamet distantia. Posthaec autem subdit Plato [*Immensum intervallum discriminis duorum istorum virorum, iusti scilicet, et iniusti, quoad voluptatem, et dolorem cumulavisti.*] id est maximum quidem ò Socrates intervallum esse inter ipsius Regis, Tyrannique voluptatem, et dolorem ostendisti. Respondens autem Glauconi Socrates ait [*Certè verum, et convenientem vitis numerum:*] hoc est certè verum huius intervalli numerum ego ostendi: qui numerus convenit etiam vitis, id est qui 729 numerus ipsis rerum generabilium, et corruptibilium vitis accommodari potest. quoniam scilicet si à novenario ultima huius numeri figura detrahatur unitas, quae ante septenarium primam eiusdem figuram scribatur, formabitur ipse 1728 numerus Geometricus, quem in superioribus ostendit Plato vitas rerum generabilium, et corruptibilium significare. Deinde hoc ratione confirmat Socrates dicens [*si quidem ipsis conveniunt dies, et noctes, et menses, et anni*] hoc est, numerus iste convenit vitis rerum, quoniam ipsis rerum vitis conveniunt dies, et noctes, et menses, et anni; videlicet totus earum periodus, qui fit, mensuratúrque diebus, noctibus, mensibus, et annis: quem quidem periodum ipse 1728 numerus Geometricus significat. Hinc autem orta est deceptio eorum, qui dicant in octavo de Rep. Platonem ap-

„pellasse numerum perfectum ipsum numerum seculorum, annorum, mensium, dierum, atque horarum; credentes scilicet quod Plato numerum perfectum ibi vocasset ipsum 1728 Geometricum numerum, cùm tamen ibi Plato loquutus sit de numero 49 determinante motum secundi mobilis, ut ibi nos ostendimus. Hinc etiam manifestum nobis est, quomodo Plato ex novenario numerum suum Geometricum produci intelligat, quod praeter propositum in octavo de Rep. exponebat Faber, ut ibi diximus. Ex hoc etiam loco Accialolus deceptus est, qui credidit annum magnum Platonis esse 729 annorum; ideóque dicit Platonicos annum magnum producere ex numero novenario, quod tamen est falsum, ut in superioribus ostendimus. Verùm hactenus hoc etiam Platonis loco dilucidato, quosdam nunc Sebastiani Foxii locum hunc exponentis errores animadvertemus, ac demum praesenti negotio finem imponemus. Volens itaque Sebastianus Foxius locum hunc declarare, sic ait. *Hic Plato comparationem Regis cum Tyranno facit in primis, tanquam ipsa inter se extrema conferens* [*Scis ne quantò vivit*] *propositis incommodis Tyrannicae cupiditatis, et commodis Regiae, regnum Tyrannidi praefert* [*haud facilè aliter*] *ut discrimen omnium Reip. formarum inter se ostendat, tum gradus earundem inter se brevi quadam ratione numerorum, quae eadem ferè est cum obscurissima illa ex octavo libro, quam nos intactam omisimus, designat. Quam ipsam nos ruditer sanè, et quasi coniecturis ducti, hoc modo constituere posse videmur.*

FIGURA FOXII.



„Hic animadvertes plenam illam figuram, et oblongam à Platone hic significatam, in qua ordine propositi Cubici numeri unicuique Reip. formae respondentes describantur; tum eaedem omnes formae singulis animi cupiditatibus, seu voluptatibus respondeant, ut quantùm à Ratione, id est Regno caeterae distent intelligatur. Deinde per intervalla locorum tertio quoque spatio dissitorum species Reip. collocatae, ut Plato vult, Tripla sese proportione superant, ita ut Regnum à Tyrannide longissimo intervallo distet, id est 729, *qui numerus Triplus sit reliquorum numerorum Tripla se proportione superantium. Atqui hoc modo locum hunc explicari posse arbitror, et illum item è libro octavo, quorum utrunque nec Ficinus, nec alius quisquam Platonicorum explicuit.* [*Hic certè conveniens vitis hominum numerus*] *cur hi numeri iam propositi humanae vitae, quae temporis decursu transigitur, assignantur? an quia Cubici sunt, et Cubica soliditate mundus constat, ut in Timaeo*

„dicitur? an quia hominis aetas ut per numeros quosdam; sic per dies, menses, et annos, tanquam mensuram temporis distinguitur? Talis est expositio Foxii, in qua pecrò quatuor commisit errores. Primò quoniam in sua figura posuit Aristocratiam, hoc est Optimatum Remp. in secundo loco, ubi nos de mente Platonis Remp. Censu potestatum, sive Ambitiosam propriè dictam posuimus, quod quidem apertissimè contra Platonis mentem est, qui Regiam, et Optimatum Remp. pro una hic accepit, ambasque in eodem primo loco statuit. Secundò erravit Foxius, quia numeros quinque Rerump. ordine contrario disposuit. novenarium enim in Regno posuit, et 729 in tyrannide; cùm tamen è contrario faciendum erat, ut nos de mente Platonis superius disposuimus. manifestè enim Plato novenarium dicit esse Tyranni simulachrum, et secundum eius potentiam, et tertium augumentum ait apparere quanto Tyrannus à Rege distet intervallo. Tertiò errat in illis verbis [*ita ut regnum à Tyrannide longissimo intervallo distet, id est 729, qui numerus Triplus sit reliquorum numerorum Tripla ac proportione superantium.*] Falsum enim ait quòd scilicet numerus 729 sit Triplus reliquorum illorum numerorum 243, 81, 27, et 9 Tripla sese ratione superantium. non est enim Triplus nisi soli ipsius 243, reliquorum autem Triplus esse non potest. Quartò errat, cùm ait [*cur hi numeri, etc.*] Videtur enim velle quòd illos quinque numeros 9, 27, 81, 243, et 729 Vitis hominum Plato assignaverit, tum quia Cubici sunt; tum quoniam hominis aetas per numeros quosdam dierum, mensium, et annorum distinguitur. Quae quidem expositio est omnino falsa, et contra mentem Platonis in hoc

„loco triplici Reticuae. primò enim Plato non multos numeros vitis ipsis hic assignavit, sed unicum tantum 729 numerum ipsis vitis convenientem esse dixit." Deinde non vitis hominum tantùm, sed vitis absolutè Plato dixit eum numerum convenire, omnium scilicet rerum generabilium, et corruptibilium vitis; quibus etiam ait convenire dies, et noctes, et menses, et annos. Praeterea non omnes illi quinque numeri 9, 27, 81, 243, 729 Cubici sunt, nisi duo tantum ex eis, nempe 27, et 729: reliqui verò nullo modo possunt esse Cubici numeri. Tales igitur errores illi sunt, quos in expositione Foxii non animadvertere oportebat."

Haec Barocius; cuius interpretatio post ea, quae de sensu verborum *ἐπίπεδον ἄρ'* etc. et *κατὰ δὲ δύναμιν καὶ τρίτην αὔξην* diximus, nobis non magis, quam Foxium, quae ceteroquin comparari cum ea nequit, multis refellenda videtur. Foxium secutus est Francogallicus Civitatis interpres de la Pillonniere p. 280. (Lond. a. 1726. 4.) Socratem ita perorantem faciens: *Soient donc les plaisirs du Sage, et ceux de l'Oppresseur du Genre humain, les deux extrêmes d'une progression geometrique. Ceux de l'Ambitieux, de l'Avare, et du Voluptueux, seront les moïens. Si nous les reduisons en nombres; je dis que les chiffres suivans representeront assez bien le rapport cherché:*

9: 27: 81: 243: 729.

C'est à dire, comme les Mathematiciens l'entendront facilement, qu'un Tiran sera, dans un jour, dans un mois, dans tel espace de temps qu'on voudra marquer, sept cents vingt neuf fois moins heureux qu'un honnête homme, revêtu de la Souveraine puissance. Hunc iure vituperavit Grouius pro-

plusque ipse ad veram accessit interpretationis Francogallicae T. II. p. 328. (Paris. a. 1762. 8.) non propius tamen, quam Barocius aut scholiastes. Graeci conversio haec est: *Socrate. Le tyran est le troisiéme, à compter depuis l'oligarchique, car le démocratique est entre deux. Glauc. Oüi. Socr. Par conséquent, si ce que nous avons dit plus haut est vrai, le phantôme de plaisir, dont jouït le tyran est trois fois plus éloigné de la vérité, que le phantôme de plaisir de l'oligarchique. Glauc. Cela est ainsi. Socr. Mais si nous comptons pour un seul, le royal et l'aristocratique, l'oligarchique est aussi le troisiéme après lui. Glauc. Il l'est en effet. Socr. Le tyran est donc éloigné du vrai plaisir le triple du triple. Glauc. Oüi, ce me semble. Socr. Par conséquent le phantôme de plaisir du tyran, à le considérer selon sa longueur, peut être exprimé par un nombre plan. Glauc. Oüi. Socr. Or en multipliant cette longueur par elle-même, et l'élevant à la troisiéme puissance, il est aisé de voir combien le bonheur du tyran est éloigné de la vérité. Glauc. Rien de plus aisé pour un calculateur. Socr. Maintenant, si l'on renverse cette progression, et qu'on cherche de combien le plaisir du roi est plus vrai que celui du tyran, on trouvera, le calcul fait, que le roi est sept cens vingt-neuf fois plus heureux que le tyran, et que celui-ci est plus malheureux dans la même proportion. Glauc. Vous venez de trouver par un calcul tout à fait surprenant l'intervalle qui sépare le bonheur du juste et celui de l'injuste. Socr. Ce nombre exprime au juste la différence de leur condition, si tout convient de part et d'autre, les jours, les nuits, les mois et*

les années. Glauc. Tout convient d'une et d'autre part. Horum extrema, quae de convenientia numeri et vitae agunt, etiam obscuriora Graecis sunt: numerorum ipsorum rationem in annotatione hanc reddidit: *Cette méthode de calculer le plaisir et la douleur, ne déplaira point à notre siècle, où l'on soumet tout au calcul. Mais comme on pourroit trouver quelque obscurité dans celui-ci, j'en vais donner l'explication qui me paroît la plus approchante du texte. Le bonheur du tyran a trois fois moins de réalité que celui de l'oligarchique: celui de l'oligarchique en a trois fois moins que celui du roi: le bonheur du tyran a donc neuf fois moins de réalité que celui du roi. Le nombre neuf est un nombre plan, puisque c'est le quarré de trois. Ensuite Platon considérant ces deux bonheurs, l'un réel, l'autre apparent, comme deux solides, dont toutes les dimensions sont proportionnelles, et leurs distances de la réalité,* 1 *et* 9, *comme une de leurs dimensions, leur longueur, par exemple, multiplie chacun de ces nombres deux fois par lui-même, pour avoir le rapport de ces deux solides, qui par-là se trouve être celui de* 1 *à* 729; *c'est-à-dire, que le bonheur du tyran est* 729 *fois moindre que celui du roi. Ce calcul est fondé sur ce théorème de géométrie: Les solides dont toutes les dimensions sont proportionnelles, sont entre eux en raison triplée, ou comme les cubes d'une de leurs dimensions. Cette explication me paroît plus conforme au texte que celle de M. de la Pillonniere, qui a recours à cette progression géométrique,* 9: 27: 81: 243: 729, *qu'il a fait entrer dans sa Traduction, et dont il n'y a pas le moindre vestige dans le Grec.* Ex Grouio totus etiam

hic pendet Kleukerus, cuius epitomen annotationis Grouianae Stallbaumius sententiae loco cum lectoribus suis communicavit. Astius in comm. nihil nisi scholiasten conferri iussit.

Denique est quod ad locum L. VIIII. p. 880. A. ab omni si minus caligine, certe depravationis suspicione liberandum addam iis, quae p. 142, a. b. de eo dixi. Quae quum lectionem ὁ διὰ πάντων κριτὴς sanam esse posse probent, idem pro certo affirmari ut liceat, Hesychii glossa facit: διὰ πάντων κριτής. Βοηθός φησι ἐν τοῖς περὶ Πλάτωνος, ὅτι ὁ νομοθέτης ἐκέλευσε τοῖς κρίνουσιν γράφειν τὰ κεφάλαια ἕκαστον. Boëthum Photius cod. CLIIII. et λέξεων Πλατωνικῶν. συναγωγὴν et περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀποφοιμένων λέξεων scripsisse testatur. Itaque vix dubitari potest, quin eorum librorum ex alterutro glossa petita ad hunc ipsum Civitatis locum explicandum pertinuerit. Quam utrum magna parte truncatam, quemadmodum Hemsterhusius opinabatur, an ab Hesychio sciente et volente inchoatam tantum imperfectamque relictam habeamus, non discernam: illud iam apparet, minus probabiliter Hemsterhusium, quem Platonis locus fugerat, sensum Hesychii hunc statuisse, *Platonem a Boëtho narrari leges suas proponentem praecepisse iudicibus, ut singula actionis controversae capita adnotarent, quo melius et accuratius reddi posset iudicium*, propiusque a vero Petitum afuisse legem quamdam Athenis publice receptam a Boëtho significari existimantem. Quae si iudices vel arbitros certarum causarum pro se quemque summa rei capita notare iuberet, quibus deinde perspectis omnibus unus sententiam ferret et iudicium faceret, ad eius

similitudinem in musicis certaminibus is, quem in annotatione significavi, ὁ διὰ πάντων κριτὴς dici potuit. Verum eam quaestionem Attici iuris peritis absolvendam reliquimus.

Quod ad codices attinet, praeter eos, qui omnes Civitatis libros habent, in hoc volumine et Mon. C. adhibitus est, de quo v. Vol. II. pag. XXXVII., et is, qui a Bekkero PalA nota b significatus, a nobis Palatinus A. dictus, excerptos ex L. VIII. VIII. et X. locos continet p. 566. D. — 569. C. 573. C. 588. B. — 592. A. 613. A. et 613. E. usque ad finem. Eum Bekkerus comm. crit. praef. p. VII. inter Palatinos Vaticanos, qui olim Iannotii Manetti fuerunt, primum de tribus ita describit: 173, membr., f. quadr., ff. 168, manu Coislinianum 345 referente. insunt Apologia, Phaedo, Alcibiades primus, Gorgias, Meno, Hippias maior: deinde a pagina 100 loci excerpti (immixtis scholiis) e Theaeteto, Convivio, Phaedro, Timaeo, Re publica, Protagora, Euthyphrone, Cratylo, Sophista, Politico, Parmenide, Legibus, Epistolis, Definitionibus. ea excerpta in catalogo Vat. lexicon Platonicum vocantur.“ Sequitur familiam optimi. Bekkerus eum post editam Graeci contextus recensionem contulit.

Nunc reliquum est ut eorum, quae Vol. II. p. XXXVI. demonstrata sunt, confirmandorum caussa ostendamus, quae in his tribus libris ex Vind. B. et Mon. B. Bekkerus vel referre neglexerit vel falso retulerit. Partem eorum significatam habes ad L. VIII. p. 543. C. nota 6. 544. C. 12. 546. A. pen. B. 4. a f. C. 3. D. 1. 547. E. 4. 549. A. 8. B. 8. 550. E. 3. 551. A. 4. C. 2. 12. 552. A. 1. B. 2. 553. C. 7.

D. 8. 554. B. 1. 556. B. 7. 558. C. 2. 561. A. 11. pen. 563. D. 2. 564. C. 4. E. pen. L. VIIII. p. 571. D. 5. 573. D. 5. E. 8. 574. C. 10. 576. D. 2. 8. 579. A. 7. 580. E. 3. 581 D. 3. 582. E. 3. 568. A. 4. 587. A. 9. E. 3. 589. B. pen. 591. B. 8. L. X. p. 596. A. ult. 597. B. 3. 6. 598. B. 13. 599. B. 7. E. 3. 601. E. 4. 603. E. 11. 604. A. pen. C. 17. E. 5. 607. A. pen. B. antep. D. 4. 608. D. 8. 610. D. 8. E. 3. 614. A. pen. C. 3. 616. A. 9. 617. A. 6. Reliqua sunt haec:

L. VIII.

p. 543. C (377, 8) ὡς διεληλυθὼς] ὡς διελήλυθας cum punctis a m. s. sub ὡς positis M. (sec. Bekk. ὡς omnino deest.)
(377, 11) καὶ ταῦτα — ἄνδρα] om. M. (Par. DK.)

p. 544. A (377, 15) ὧν καὶ δεῖν cum punctis M.
(377, 20) ἔχοι] ἔχει, sup. οι, V. (ἔχει sec. Vat. BM. Ven. B. Mon. B. Bekkerus scripsit et ex V. ἔχοι retulit.)
(ib.) λέγοις] Ita V. sed in οι corr. (λέγοις sec. Bekk.)
B (378, 2) δεῦρο] δεῦρ' V. (Ang. B. Vat. HM.)
(378, 5) δύνωμαι] δύναμαι V.
C (378, 9) ἡ Κρητική — ἐπαινουμένη] in m. V.
(378, 13) καὶ] καὶ ἡ V. ut Bekk. ostendit, sed punctis circumscripto καὶ, de quo tacet.
E (379, 3) ῥέψαντα] ῥήψαντα, a m. s. ῥίψ., M. (ῥήψ. sec. Bekk.)

p. 544. E (379, 3) ἐφελκύσηται] In V. ἁ super ἑ scriptum. (ἀφ. Ven. B. Vat. H.)
(379, 4) ἔγωγ', ἔφη] ἔφη ἔγωγ' V. (ἔφη ἔγωγε sec. Bekk.)
(379, 5) αἱ] int. vers. M.

p. 545. A (379, 13) τελέα] τελήα, a m. s. τελεία, M. (τελεία sec. Bekk.)
B (380, 2) ταύτην] ταύτη M. a m. pr. (Vind. B. Vat. H. et a m. s. Par. A.)
C (380, 5) καὶ ἰδόντες] int. vers. V.
D (380, 15) οὖν δὴ, εἶπον] ἦν δὲ εἶπον, a m. s. ἦν δὲ ἐγὼ, M. (ἦν δ' ἐγὼ sec. Bekk.)

p. 546. A (381, 4) μενεῖ] μένει V. (Ven. B. Vat. H.)
(381, 5) ζώοις] om. M.
(381, 8) ἐναντίοις] ἐναντίως M. a m. pr.
C (382, 3) πεμπάδος] πεμπάνδων M. (πεμπάδων sec. Bekk.)

p. 547. A (383, 1) *γενεᾶς*] Ita et M. non *γενεῆς*. (Par. ADK. Vat. BM. Ven. C. Ang. B.)

B (383, 9) *ἀργυροῦν*] *ἀργύρεον* M. (Ang. B.)

C (383, 16) *αὐτῶν*] *αὐ.* M. a m. s.

D (384, 3) *τῷ*] *τὸ* M. (Vat. BHM. Ven. C. Par. DK.)

p. 548. A (384, 14) *ἑαυτῇ*] *ἑαυτῆς* cum punctis sub ς M. (*ἑαυτῆ* Par. A. Vat. M.)

(Ib.) *αὖ τὰ*] *αὐτὰ* cum punct. sub *αὐ* M. (*αὐτὰ* sec. Bekk.)

(384, 19) *οἱ*] *οἳ* V. (Vat. H.)

(384, 20) *νεοττιὰς*] Ita et M. ut Par. A. (*νεοττίας* sec. Bekk.)

B (385, 2) *φιλαναλωταὶ*] *φιλαναλῶται* M. (quod Bekk. ex Vat. BM. Ven. C. Par. DK. recepit.)

E (386, 6) *δ'*] *δὲ* V.

p. 549. A (386, 12) *τε*] om. M. simpliciter. (sec. Bekk. a m. pr.)

D (387, 9) *αὐτῇ*] Ita M. sed in *ῃ* corr. (*αὐτῆς* Ang. B.)

E (387, 19) *ὑμεῖν*] *ὑμεῖν* M.

p. 550. C (389, 3) *τεταγμένον*] Ita M. a m. pr. *τεταγμένου* a m. s. (*τεταγμένου* sec. Bekk.)

p. 551. A (390, 6) *φιλονείκων*] *φιλονίκων* a m. s. M.

(390, 9) *ἀτιμάζουσι.*] *ἀτιμάζουσιν.* M.

p. 551. B (390, 19) *αὐτὴν*] *αὐτὰ* a m. pr. M.

p. 552. B (392, 12) *τοιοῦτος*] *τιοῦτος* M.

(392, 15) *ἣν αὐτῆς*] *ἢ ναύτης* cum litura inter *ἢ* et *ν* M. (*ἢ ναύτης* Vat. BM. Ven. C. Par. DK.)

C (392, 18) *τοιοῦτον*] *τιοῦτον* M.

(393, 6) *εἰσί*] *ἀεί* M. sed ε a m. s. est. (*ἀεί* sec. Bekk.)

E (393, 12) *καὶ*] om. V. (Vat. H.)

p. 553. A (394, 1) *γίγνεται*] fortasse *μίγνυται* a m. pr. M.

(394, 5) *διαίκῃ*] *διαίκει* V.

B (394, 8) *ἤ τιν'*] *ἤ τινα* M.

C (394, 16) *σμικρὸν*] *μικρὸν* V.

(394, 17) *ξυλλέγεται*] *ξυλλέγηται* a m. pr. M. (Par. ADK. Ven. C. Vind. B. Vat. H.)

(Ib.) *τοιοῦτον*] *τιοῦτον* a m. pr. M.

(394, 20) *ἑαυτῷ*] *αὐτῷ* V. (Vat. H.)

(Ib.) *ἀκινάκας*] *ἀκιννάκας* ante corr. M.

(Ib.) *Ἔγωγε*] *ἔγωγ'* V. (Vat. H.)

(394, 21) *γε*] *γ'* V.

D (395, 2) *τὸ μὲν*] *τῷ μὲν* M.

(395, 4) *δὲ*] *δ'* V. (Vat. M.)

(395, 9) *φιλοχρήματον*] *φιλοχρημάτεον* a m. pr. M.

p. 554. C (396, 8) *Οἶσθ'*] *οἶσθα* M.

p. 554. C (396, 11) ξυμβαίνει] ξυμβαίνοι V.

(396, 14) ἑαυτῷ βίᾳ] αὐτοῦ βίᾳ V. (Vat. H.) ἑαυτοῦ βίᾳ a m. s. M. (Bekkerus utramque sileas cum Steph. ἑαυτοῦ βίῳ habere ostendit, idque fuit a m. pr. in M.)

E (397, 2) ἂν ἔχοι] ἂν ἔχον, in m. a m. s. vulg., M.

p. 555. A (397, 11) ξυμμαχίαν] συμμ. V.

B (397, 19) αὖ τὸν] αὐτὸν, sup. ᾽ super ὐ, V.

(ib.) παραστησώμεθ᾽] παραστησώμεθα V.

D (398, 17) καὶ] in m. a m. s. M.

E (399, 3) νομιζόμενοι] νομιζόμενος a m. pr. M.

p. 556. A (399, 7) ᾗ] ἢ V. (Vat. H.)

C (399, 23) παραβάλλωσιν] cum puncto sub altero λ V. (παραβάλλωσιν sec. Bekk.)

(400, 3) στρατείας] στρατίας a m. pr. M. (στρατιᾶς Ven. B. Par. DK.)

(ib.) ξυστρατιῶται] συστ. V.

D (400, 7) ἐσκιατροφηκότι] Ita et M. ut Par. ADK. Vat. B. Ven. C. (ἐσκιατραφηκότι sec. Bekk.)

(400, 11) παραγγέλλειν] παραγγέλειν a m. pr. M.

(400, 12) ἡμέτεροι] ὑμέτεροι cum η super υ V. (ὑμέτεροι sec. Bekk.)

p. 556. E (400, 12) εἰσὶν] εἶσι γὰρ V. (Vat. H.)

(ib.) οἶδα] post μὲν οὖν M.

(400, 18) ξυμμαχίαν] συμμ. V. M.

p. 557. A (400, 21) γίγνεται] in m. a m. s. M. (om. Vat. BM. Ven. C. Par. DK.)

(401, 4) γίγνονται] γίγνωνται M. (Par. ADK. Ven. BC. Vind. B. Vat. H.)

C (401, 16) μάλιστα] om. M. μάλιστ᾽ V. (Ang. B. Vat. H.)

D (402, 6) ἀφέσῃ] Ita V. ut Bekk. ostendit, sed σότ. in η, de quo tacet.

(402, 8) γοῦν] γ᾽ οὖν apicibus a m. s. additis M.

E (402, 10) μηδὲ] μὴ δ᾽ V.

(402, 13) μηδ᾽] μὴ δὲ M.

p. 558. A (403, 1) πολλούς] πολοί, delete quod int. vers. fuerat priori λ, M. (πολλοί sec. Bekk.)

(ib.) γ᾽] γε V.

B (403, 2) αὐτῆς] cum ο᾽ super η V.

(403, 4) μοί] Ita M. in contextu et a m. pr., καί in m. et a m. s. (καί M. corr. sec. Bekk.)

(403, 7) κατεπατήσασ᾽] Ita a m. s. M. κατεπατήσας a m. pr. (κατεπατήσασ᾽ sec. Bekk.)

p. 558. C (403, 10) γενναία] γενναῖα a m. pr. M. (Vind. B. Par. DK. Vat. HM.)
D (403, 19) ἤθεσι] Ita V. M. (ἤθεσιν sec. Bekk.)
(404, 4) Οὐκοῦν ἅς τε] om. in contexta M. habet in m. a m. s. inscripta verbis ὅσας δὴ ab alia manu prius ibi positis. („ἅς τε] ὅσας δὲ rc q, om pr")
p. 559. A (404, 15) ὑγιείας] ὑγείας M. (Par. K.)
B (404, 17. sq.) ᾗ — ᾗ] Ita corr. M. (Par. A. corr. Ven. B. Vind. B. Vat. M.)
(404, 20) ᾗ] ᾖ V. et a m. pr. M. (Ven. B. Par. K. Vat. M.)
C (405, 9) τὸν τῶν] ita V. ut Par. A. Ang. B. (τῶν sec. Bekk.)
D (405, 12) λέγωμεν] λέγομεν V. (Ang. B. Vat. H.)
E (405, 21) ξυμμαχίας] ξυμμαχίαις cum punct. sub altero ι M.
p. 560. A (406, 14) ξυγγενεῖς] συγγ. V.
C (407, 7) ἀφικνῆται] ἀφικνεῖται V.
E (408, 2) μεγαλοπρέπειαν] μεγαλοπρεπίαν ante corr. M.
(408, 3) ἀνδρίαν] ἀνδρείαν V.
p. 561. B (408, 12) καταδέξηται] Post id αἰ int. vers. habet M.
(408, 17) γ'] γε V.
D (409, 9) ἀναπηδῶν] ἀναχοδῶν M.
p. 561. D (409, 9) πράττει] πράττη V.
p. 562. B (410, 18) Ἰλιηθῆ] ἀληθῆς, a m. s. ἀληθῶς, M. (ἀληθῶς sec. Bekk.)
C (410, 17) τε] int. vers. V.
D (411, 7) κολάζει] κολάζη V.
(411, 8) γε] γ' V.
(411, 11) ἀρχομένους] Ita M. sed μένοις in m. a m. s.
